AUTHOR:

THOMAS, GUILELMUS

TITLE:

DE ARISTOTELIS EKSOTERIKOIS LOGOIS

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1860

Master Negative #

93-81396-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG93-B3205         Acquisitions     NYCG-YG
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B3205            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:04-08-93
  CC:9668  BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:        UD:04-08-93
  CP:gw      L:lat    INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:s      PD:1860/          REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:    DM:    RR:       COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Thomas, Guilelmus.
  245 13  De Aristotelis Eksoterikois Logois Deque Ciceronis Aristotelio More‡h[
       microform].
  260     Gottingae,‡bTypis Expressit Officina Academica Dieterichiana,‡c1860.
  300     103 p.
  LDG     ORIG
  QD      04-08-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 9x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5.11.93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0

DE ARISTOTELIS
ΕΞΩΤΕΡΙΚΟΙΣ ΛΟΓΟΙΣ
DEQUE
CICERONIS ARISTOTELIO MORE
PRAEMISSA DISPUTATIONE
DE VETERUM ARTE DISPUTANDI DEQUE EORUM DIALOGIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CONSEQUENDOS
SCRIPSIT
GUILELMUS THOMAS
NASSOVIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLX.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

VIRIS SUMME VENERANDIS

IISDEMQUE

DE LITERIS OPTIME MERITIS

HENRICO RITTERO

CAROLO HOECKIO

ERNESTO LUDOVICO DE LEUTSCH

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI TESTEM

DEDICAVIT

AUCTOR.

Aliquamdiu his temporibus in Ciceronis libris legendis versatus non potuit fieri, quin etiam in illos locos inciderem, in quibus quaedam scripta *more Aristotelio* a se elaborata esse tradit. Scribit enim in Epistola illa ad *Lentulum*[1]): „Scripsi igitur *Aristotelio more*, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur.“ In epistola quadam ad *Atticum*[2]) de iisdem libris mentionem facit valdeque eos sibi probatos esse affirmat, sed alios, quos tum confecerat, ab illis de Oratore libris ita distinguit, ut quos novissime scripserit, eos Aristotelium morem habere dicat, quasi plane oblitus sit, se illos quoque de Oratore libros Aristotelio more scriptos esse in epistola illa ad Lentulum, de qua paullo ante diximus, indicasse.

Haec quaestio quum cohaereat cum illa, quae est de Aristotelis dialogis qui iidem quum inter ejus **ἐξωτερικοὺς λόγους** numerentur, de his quoque quaerendum esse visum est.

Has duas quaestiones difficillimas, in quibus multos viros doctos, me et ingenio et doctrina praestantiores, operam et studium collocasse notum est, quod

1) Ad *Fam. I*, 9, 23. 2) XIII, 19, 4.

ego mihi suscipiendas esse duxi, lectores summa, qua par est, modestia oratos velim, ne arrogantiae me propterea aut audacis superbiae incusare malint, quam credere, ut ubique, sic hic quoque uno me veri cognoscendi studio ductum esse. Et si mihi contigerit in his quaestionibus aliquando acutius videre, quam aliis, quibus me copia doctrinae, acumine ingenii minime parem esse putaverim, id me nulla alia re nisi diligentia vel potius perpetua quadam animi attentione et observatione, quae in talibus quaestionibus enodandis molesta esse non debet, assecutum esse fateor.

Sed priusquam ad propositam quaestionem aggredimur, haud ab re nobis visum est, nonnulla de dialogis veterum in universum et inprimis Platonis et Aristotelis praemittere, quorum dialogos vix dubium est quin Cicero in scribendis suis ante oculos habuerit eorumque aemulator, Platonis certe, exstiterit.

Quid omnino sit dialogus quum neminem ignorare credam, non opus est de ea re multa verba facere. Possunt omnes sermones, qui cum altero cognoscendi aut animum oblectandi causa aut quamcunque aliam ob causam de eadem re interrogando et respondendo conferuntur, dialogi appellari [3]; potest etiam interior quaedam atque tacita mentis secum ipsa sermocinatio nomine dialogi signari [4]). Praecipue autem ii sermones dialogi nominantur, qui inter viros aliqua doctrina eruditos instituuntur aut veri inveniendi causa aut tale aliquid probandi et firmandi aut etiam ut opiniones falsae refutentur atque ex animis pellantur; eoque magis tales sermones dialogi dicuntur, quo magis via aliqua ac ratione disputandi procedunt. In quibus rebus qui sunt exercitati quique in quaque proposita quae-

---

3) Cf. *Cic. Brut.* §. 218; ad *Attic.* XIII, 42. 4) Cf. *Plat. Sophist.* p. 263, E; p. 231, C.

stione probabiliter argumentari possunt, aliorumque opiniones recte dijudicare, falsas redarguere, omnino qui, quid sit verum, quid sit consentaneum cuique, quid consequens, quam celerrime possunt perspicere atque expromere, dialectici nominantur ab iisque dicta ars est dialectica [5]). Contra qui se posse tantum simulant, sophistae dicuntur [6]), quibuscum cohaerent quodammodo *Ἐριστικοί*, qui utrique fallaciter et captiose ea arte utuntur [7]).

Ceterum etsi praecepta talium sermonum, id est dialogorum, vix ulla rhetorum exstant, tamen quum dialogus quasi sermo duplex sit, quippe qui plerumque inter duos fiat, per se intelligitur esse utrique adversus alterum hic quoque ea observanda, quae eruditissimum quemque maxime usquequaque alteri praestare deceat. In qua re quum mirum quantum peccetur, non alienum est lectores ad Ciceronem, talium rerum praeceptorem eximium, remittere [8]).

Primus in arte dialectica magnam famam collegisse dicitur *Zeno Eleates*, nobilis ille Parmenidis auditor, quem eundem Diogenes Laertius primum dialogos scripsisse nuntiat [9]). Contra Aristoteles et Phavorinus

---

5) Cf. *Diog. Laert.* III. p. 215 (Colon. Allobr. 1616.) *Ἔστι δὲ διάλογος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιίας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς. διαλεκτικὴ δ' ἐστὶ τέχνη λόγων, δι' ἧς ἀνασκευάζομέν τι ἢ κατασκευάζομεν ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως τῶν προσδιαλεγομένων.* *Cic.* de Fin. II, c. 6. Dialectica — una continet omnem et perspiciendi quid in quaque re sit scientiam, et judicandi quale quidque sit, et ratione ac via disputandi. cf. *Ejusd.* Academ. II, c. 28, 91. *Brut.* §. 309. *Plat. Sophist.* p. 353, D sq. *Aristot. Topic.* I, c. 1, 2 sq. 6) cf. *Plat. Sophist.* p. 268 C sq. 7) cf. *Zeller:* d. Philosophie d. Griechen (2. Aufl.) T. I, p. 765 sq. T. II, p. 186. 8) De *Offic.* I, §. 134 sq. Quod decoris praeceptum Socrates quidem apud Platonem numquam non ante oculos habet. 9) l. c. III, p. 215.

apud eundem Diogenem Laertium [10]) Alexamenum nescio quem Styreum sive Tejum tradit. Alio loco [11]) idem Diogenes Aristotelem auctorem esse ait, Zenonem Eleatem inventorem dialecticae artis fuisse. Quae res quomodocunque se habet, illud sane mihi pro certo affirmari posse videtur, eristicae certe artis initia multo ultra eam aetatem esse repetenda, qua Zeno ille Eleates vixisse fertur.

Lasus enim *Hermionensis*, vir egregie de musica et poesi Graecorum meritus, qui Darii Hystaspis temporibus vixit et aequalis Simonidis et Xenophanis fuit [12]), primus *λόγους ἐριστικοὺς* induxisse traditur [13]). Cui rei quasi fidem adjungit *Athenaeus* [14]), qui hunc ejus festivum lusum servavit: ***τὸν Λᾶσόν φασι τὸν ὠμὸν ἰχθὺν ὀπτὸν εἶναι φάσκειν. Θαυμαζόντων δὴ πολλῶν ἐπιχειρεῖν λέγειν ὡς ὅ ἐστιν ἀκοῦσαι, τοῦτό ἐστιν ἀκουστόν, καὶ ὅ ἐστι νοῆσαι, τοῦτό ἐστι νοητόν· ὡσαύτως οὖν καὶ ὅ ἐστιν ἰδεῖν, τοῦτο εἶναι ὀπτόν· ὥστ᾽ ἐπειδὴ τὸν ἰχθὺν ἦν ἰδεῖν, ὀπτὸν εἶναι κτλ.*** Qui lusus quamquam longissime absunt a dialogorum perfectione et praestantia, possunt tamen nobis demonstrare, quomodo jam tum externo verborum sono simili et forma judicia hominum impediri mentesque moveri potuerint.

Atque omnino a talibus lusibus artem eristicam profectam esse non admodum incredibile est. Quibus enim rebus quasi pueri homines dum sunt, ludunt, eas viri facti serio plerumque et extra jocum tractare et

---

10) l. c. 11) IX, p. 645. 12) Cf. de eo *Bernhardy* Grundr. d. griech. Litterat. (2te Bearb.) II, 1, p. 541 et 546 sq. *Duncker* Gesch. d. Alterth. IV. p. 330 et 339. *Plut.* de vitioso pudore c. 5. 13) *Schol.* ad *Aristoph. Vesp.* v. 1410: *Λᾶσος Χαρβίνου Ἑρμιονεύς, πόλεως τῆς Ἀχαίας, γεγονὼς κατὰ τὴν νη᾽ Ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου. — πρῶτος δὲ οὗτος περὶ μουσικῆς λόγον ἔγραψε, καὶ διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε, καὶ τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσατο λόγους.* 14) VIII, p. 338, B, C.

exercere pergunt. Quod Zenonis illius, cujus modo mentionem fecimus, ratio disputandi probare videtur, quae si ex Plutarcho [15]) conjicere licet, ejusmodi fuit, ut contradicendo et coarguendo ita adversarios in angustias perduceret, ut quo se expedirent, haberent nihil et obmutescere cogerentur. Quae ratio num dialectica potius quam eristica appellanda sit, equidem non dixerim. Illud certe affirmari posse videtur, Zenonem magis in eo versatum esse, ut Parmenidis, magistri sui adversarios refelleret ejusque disciplinam contra aliorum dissensiones firmaret et fulciret, quam ut ipse dialectica ad nova aliqua, magna praesertim, invenienda et statuenda uteretur. Et sunt quoque, qui illius illum librum, qui a Platone in Parmenide [16]) commemoratur, praeter quem nihil aliud scriptum reliquisse videtur, dialogi forma scriptum esse concedere nolint [17]).

Neque tamen haec Zenonis disputandi ratio parvi momenti fuisse existimanda est atque haud scio an omnes illae rerum immutationes, quae paullo post quum alibi in Graecia, tum Athenis secutae sunt, ex illa arte tamquam ex communi quodam fonte profluxerint. Quum enim per se, qui bene disserit, confidentiam quandam sui nanciscatur, qua ductus se quaeque, quam alterum, melius scire opinetur melioraque posse reddere putet, tum nescio quomodo ad immutanda ea, quae a majoribus tradita acceperit, celer et praeceps fieri solet. Et quoniam dijudicare vera et falsa maxime homines decet, dialectica est, a qua id potissimum repeti possit. Itaque quum nemo, nisi qui recte judicandi et argumentandi facultate aliqua instructus sit, in aliquo numero esse possit, mirum est, quod Graeci inprimisque Athenienses subito tanto amore hanc artem

---

15) *Vit. Pericl.* c. 4 et 5. 16) p. 127, C sq. 17) *Zeller* l. c. T. I p. 421.

amplexi sunt, ut studiosissime ei praeter ceteras artes operam darent, iisque, qui eam tradebant, magnas pecunias penderent. Sed quemadmodum fieri solet, ut quae merces cupidissime appetuntur, eae sensim depraventur et minus accurate conficiantur, sic etiam ars dialectica mox in pejus mutari coepta est. Inter omnes enim notum est, ad quas ineptias sophistae illi qui dicuntur descenderint, quas nugas captaverint, quanta interdum doctrinae perversitatem morum foeditate aequaverint vel potius superaverint, communis juris praecepta in contemptionem adduxerint [18]. Hujus licentiae vix ulla causa inveniri poterit, nisi quae profecta est ab eorum prava dialectica, qua nihil non se efficere posse arbitrabantur. Rerum enim ipsarum parum curiosi verba premere solebant, notiones ipsas plus justo negligentes, fallaciis et conclusiunculis suis imperitorum mentes perturbare non dubitantes, et quae ars divina a diis immortalibus ad verum inveniendum hominibus data esse videtur, ea tanquam ignobili perversitatis ministra ad alios fallendos, ad captiosissimas res solvendas, maxime ridiculas probandas abutebantur. Quarum rerum insigne momentum exstat *Platonis Euthydemus*, quem qui legerit, eorum magis vanas ostentationes quam subtiles argumentationes melius cognoverit, quam nobis hic eas describere in animo est. Quamquam negare nolumus, multa etiam scite ab iis instituta esse, quae quum ad pedestrem orationem omnino, tum vero ad artem oratoriam pertinebant [19]. Quum enim ante omnia dicere homines docere stude-

18) Cf. *apud Plat. Thrasymachum Resp.* I p. 336, B sqq. *Calliclem Gorg.* p. 481, B sqq. Qui quamvis inter sophistas non numeretur, id quidem nihil ad nostram rem. 19) Cf. *C. F. Hermanni* disput. de *Thrasymacho Chalcedonio sophista.* Index scholar. in ac. *Georg. Aug.* per sem. hib. anni 1848—1849 habend.

rent suae quemque rei accommodatissime, non potuit fieri, quin ad multa oratoriae artis praecepta danda perducerentur [20]), quales hodie emendate dicendi scribendique regulae a grammaticis in scholis tradi solent. Sed quum in his quoque delectare quam persuadere mallent, omnium fere temporum judiciis damnati magis quam probati sunt, quamquam nuper exstitit, qui eos sibi defendendos susciperet [21]).

Sophistis se opposuit ***Socrates***, disputandi subtilitate illis temporibus facile princeps, qui quid vellet quum cives ejus non intelligerent, adversari ei detrahereque conati sunt. Quibus molestiis ille deterritus non est, quin ea via, qua sola ad cognoscendum verum perveniri posse rebatur, fortiter incederet et assidue arti dialecticae operam navaret ita, ut quasi patronus ejus artis factus sit. Quum enim ad recte agendum nihil magis opus esse existimaret, quam scire, quid quaeque res esset [22]), quumque virtutem ipsam scientiam esse putaret [23]), scientiam autem ipsam nulla re magis effici posse arbitraretur, quam si quisque occupatus esset et in se ipso et ceteris explorandis [24]), fieri non potuit, quin quamcunque occasionem cum aliis colloquendi eosque tentandi studiosissime arriperet et artem dialecticam sic excoleret, ut qui eum sequebantur, omnium eam artium magistram fere ac ducem putarent, omniumque doctrinarum fastigium, quo nihil addi deberet superius [25]). Nec vero potuit aliter evenire. Quum enim sophistae arte dialectica abutentes omnem scientiam subvertere viderentur, nonne tunc vir ali-

20) Cf. *Bernhardy* l. c. I, p. 397 et p. 401. 21) Is est *Georg. Grote*, Britannus, in libro, qui inscribitur: *History of Greece* London 1846 sq. Cfr. ejus operis vol. VIII. p. 479 sqq. 22) *Xenoph. Mem.* IV, 6, 1. 23) *Xenoph. Mem.* III, 9, 5. — *Zeller* l. c. T. II, p. 97. 24) *Plat. Apol.* p. 28, E; *Phaedr.* p. 229, E. *Xenoph. Mem.* IV, 2, 24 sq. 25) *Plat. Resp.* p. 532 A — 534 E.

quis eximius, qualem Socratem fuisse constat, suum esse crederet demonstrare, qua disputandi perversa ratione scientia esset corrupta, eadem emendata et purgata etiam corrigi scientiam reficique posse? Id autem nullo alio modo fieri posse videbat, nisi si ipse dissereret et eorum tentaret animos, qui se aliquam rem scire profiterentur. Itaque fere usquequaque in scriptis veterum philosophorum Socratem cum aliis colloquentem videmus ita, ut percontando et interrogando eorum opiniones eliciat et tum ad ea, quae hi responderint, si quid videatur, dicat, modo confirmans alterius opinionem, modo corrigens, saepius refellens. Credebat enim id sibi a deo ipso (Delphico) esse mandatum [26]), ut cives suos ad virtutem incitaret, et quoniam virtutem in scientia positam esse existimabat, nullam rem facile praetermisit, ex qua se aut alios discere aliquid posse arbitrabatur [27]).

Quomodo autem disseruerit, quum ex iis sermonibus, quos ab eo cum aliis collatos veteres scriptores posteritati tradiderunt, intelligi potest, tum etiam ipsis verbis dicitur, velut a *Xenophonte* in *Mem.* IV, 6, 13, ubi Xenophon, postquam sermone quodam exempli causa adjecto ostendit, quomodo semper ad verum quidpiam atque ab omnibus concessum tamquam ad fundamentum aliquod ante positum dijudicandam quamque rem controversam revocaverit, pergit: ***Οὕτω δὲ τῶν λόγων ἐπαναγομένων, καὶ τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς φανερὸν ἐγίγνετο τἀληθές. Ὁπότε δὲ αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην τὴν ἀσφάλειαν εἶναι λόγου. τοιγαροῦν πολὺ μάλιστα ὧν ἐγὼ οἶδα, ὅτε λέγοι, τοὺς ἀκούοντας ὁμολογοῦντας παρεῖχε.*** Atque haec est Socratica illa

26) Cf. *Plat. Apol.* p. 33, C. *Plat. Phaedr.* p. 230, D.

27) Cf. *Xenoph. Mem.* I, 6, 14.

inductio, de qua *Cicero* [28]): Inductio est, inquit, oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones ejus, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. — Et paullo post: Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet.

Sic ubique a rebus maxime concessis et manifestis, de quibus quia inter omnes constabat, nemo facile dubitare poterat, disputans profectus est, inde colligens atque inferens, quae similiter vera esse in aliis rebus necesse erat. Sic fere exortus est Socraticus ille dialogus, clarus arte, subtilitate, decore quam maxime et apud veteres et apud posteritatis homines. Sed duplex quoddam ejus genus discerni potest, alterum, quum ejus participes inter se aequabiliter fere colloquuntur atque sermones conferunt ita, ut alterni alter ex alterius dictis aut ex sua sententia rem quamque, de qua agitur, respondendo, interrogando, probando, addubitando, corrigendo, explicando, nova inferendo et narrando aut quocunque denique modo sit, modo severe et graviter, interdum jocose et hilariter longius aut bre-

28) De *Invent.* I, §. 51. Cf. *Aristot. Topic.* I, 10: — *χρὴ διελέσθαι, πόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν. Ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐπαγωγή, τὸ δὲ συλλογισμός. — Ἐπαγωγὴ — ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος· οἷον, εἰ ἔστι ὁ κυβερνήτης ὁ ἐπιστάμενος κράτιστος, καὶ ἡνίοχος· καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ ἐπιστάμενος περὶ ἕκαστον ἄριστος.* Cfr. etiam, si tanti est, ejusd. *Rhetor.* I,2,8 sq. — *Quintil. Instit. Orat.* V, c. 11 (Vol. I p. 307 ed. Bip.) Nam illa (inductio), qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam, quum plura interrogasset, quae fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset. Id est ***inductio.***

vius producat et persequatur, qualis dialogus omnino sermo dici solet, in circulis maxime, disputationibus, congressionibus familiarium versans, sequens etiam convivia et coetus amicorum. Habentur autem hi sermones plerumque aut de domesticis negotiis aut de republica aut de artium studiis atque doctrina [29]), omninoque de iis rebus, quas cujusque interest accuratius diligentiusque considerari et perspectas esse. Hujus generis dialogi adhuc exstant *Xenophontis* potissimum, velut *Oeconomicus, Hiero, Symposium*, alii ejus scriptis aliis immixti sunt, de quibus hic non dicendum est.

Alterum dialogi genus est quum a qualicunque initio sermo orsus colloquentes mox traducit ad quaestiones graviores, quae ad philosophiam pertinent ideoque diligentiorem explicationem desiderant. In quo genere quum primum quaestio constituta est, via ac ratione procedere sermo solet ad explorandum aliquid, quod si interdum minus verum sit — tale enim aliquid vel sapientissimus prudentissimusque non semper assequi potest — at verisimile tamen et probabile, quodque ad verum quam proxime accedat. Instituuntur etiam tales sermones, ut falsae quaedam aliorum opiniones deleantur atque ex animis exstirpentur. Facile autem per se intelligitur in his collocutionibus cum colloquentes aliqua scientia eruditos esse oportere, tum vero, penes quem sit principatus, eum et ingenii acumine et celeriter judicandi providendique facultate eximie esse praeditum debere prae ceteris, ut quod propositum habeat, se consecuturum esse sperare possit.

Hoc dialogorum genus a *Platone* inprimis excultum est, qui Socratis auditor, ita ejus non dico philosophiam, sed philosophandi et disserendi formam adamaverat, ut nunquam eam postea dimitteret. Quam cur

29) *Cic.* de *Offic.* I §. 135.

semper retinuerit, etiam aliae causae fuisse videntur. Est enim dialogus, quod singula quaeque accurate persequitur, et considerat, saepe insistit et quasi circumspicit, ne quid effugiat minus diligenter examinatum eaque de causa longas orationes una perpetuitate praetervolantes plerumque respuit [30]), ad certum aliquid inveniendum atque firmandum longe aptissimus. Nam ut duo aliqui plerumque plus valent corporis viribus, sic etiam qui cum altero aliquid mente agitat atque animo contemplatur, quum quasi ejus animi vires advocaverit, aliquam spem habere potest fore ut verius certiusque sit id, quod cum altero repererit, quam si solus per se acturus fuisset. Quae spes augebitur eo magis, quo peritiorem alterum ejus rei, de qua agitur, esse cognoverit. Habet enim hunc velut prudentem arbitrum atque existimatorem sententiae suae, quam aut retinebit, si veram eam, aut rejiciet, si falsam fuisse apparuerit [31]). Quemadmodum autem, qui libri nostris temporibus scribuntur, eorum, posteaquam editi sunt, censura aliqua confici solent, qua quae falsa sunt et minus ad veritatem dicta, corriguntur, sic qui sciscitando cum altero agit, eum ejus rei, quam tractat, quodam modo censorem perpetuum et praesentem judicem atque correctorem ubique secum habet. Praeterea qui dialogo in disputando utitur, per alterum semper quasi metiri potest, quam sit quidque, quod dixerit, clarum et perspicuum; potest, quae sunt ad intelligendum difficiliora, explicare uberius adjiciendo alia, quae ad intelligendam quamque rem idonea sunt; potest saepe viam ostendere, qua ad id, quod quaeratur, perveniri possit. Maxime autem potest evitare jejunitatem

30) *Plat. Protag.* p. 334, D. sq. *Gorg.* p. 449 B. 31) *Plat. Protag.* p. 348, D. sq.

et siccitatem, quae saepe comitari solent tractationes ad scientiam aliquam aut artem spectantes et sermonem nimis tenuem reddunt. Quod ne fiat, interdum paulisper a severitate ad hilaritatem jocumque traducere potest [32]), nonnumquam a definita disputatione ad communem quaestionem universi generis transire [33]). Haec omnia in disputatione, quae ratione et via perpetua oratione instituitur, non admodum probata dialogo tamen optimo jure concedi posse nemo erit qui neget. Atque haud scio an, ut etiam insolentis interdum est et superbi, per se omnia quaeque altero non adhibito contendere et affirmare velle, quae ille credat, sic modesti ac verecundi sit, alterum consulere saepe et audire ejusque sententiae aliquid tribuere, ut, quod sit disserendo cognitum, quasi commune utriusque appareat speciesque arrogantiae vitetur. Sic sine dubio multa sunt, quibus praestare dialogum perpetuae disputationi dicere possis. Et his dialogi commoditatibus Platonem saepenumero usum esse non negabit, qui aliquantulum ejus dialogos triverit. Ut autem a Platone dialogum fere nusquam non adhiberi videmus, sic etiam credimus nos ab eo cognoscere posse, quibus de causis eum perpetuis orationibus praetulerit. Atque aperit talia quum alibi [34]), tum vero in *Phaedro* [35]), ubi quod scriptum sit, comparat cum pictura. Picturae enim opera tanquam viventia exstare, sed si quid ex iis rogaveris, graviter admodum et verecunde silere. Eodem modo sermones nihil ipsos intelligentes dicere, et si quid ab iis dictorum sciendi avidus sciscitatus sis, idem semper et unum significare. Quidquid autem semel scriptum sit, id ubique ab iis qui intellexerint in ore ferri ac provolvi, sive deceat, sive minus. Talem sermonem nescire dicere quibus oporteat et quibus non oporteat, et si quando injuria affectus sit immerito, ipsum sibi auxilium ferre non posse et patris semper egere adjumento, ipsum enim neque defendere se ab adversariis neque opem sibi ferre posse. At contra alium esse sermonem, prioris fratrem germanum, qui in animo discentis cum scientia scribatur, quia sibi ipse auxiliari possit et intelligat, apud quos loquendum sit, apud quos tacendum. Hunc vivere et esse animatum, cujus oratio scripta simulacrum merito dicatur. Quo sermone qui scite utatur, eum quasi sermones plantare et serere, qui si modo idoneum

---

32) cfr. *Plat. Resp.* I p. 338, C. sq. 33) cfr. *ibid.* II, p. 357 sqq. 34) cfr. *Protag.* p. 334, D. sq. cfr. ibid. p. 348, D. *Gorg.* p. 449, B. sq. *Phaedr.* p. 267, B. 35) p. 275, D. sqq. In his quidem Plato scriptam orationem notat prae ea, quae ore tradatur. Sed quum alibi, ut in *Protagora* p. 329, A (*καὶ γὰρ εἰ μέν τις περὶ αὐτῶν τούτων συγγένοιτο ὁτῳοῦν τῶν δημηγόρων, τάχ' ἂν καὶ τοιούτους λόγους ἀκούσειεν ἢ Περικλέους ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ἱκανῶν εἰπεῖν· εἰ δὲ ἐπανέροιτό τινά τι, ὥσπερ βιβλία οὐδὲν ἔχουσιν οὔτε ἀποκρίνασθαι οὔτε αὐτοὶ ἐρέσθαι, ἀλλ' ἐάν τις καὶ σμικρὸν ἐπερωτήσῃ τι τῶν ῥηθέντων, ὥσπερ τὰ χαλκεῖα πληγέντα μακρὸν ἠχεῖ καὶ ἀποτείνει, ἐὰν μὴ ἐπιλάβηταί τις, καὶ οἱ ῥήτορες οὕτω σμικρὰ ἐρωτηθέντες δολιχὸν κατατείνουσι τοῦ λόγου.*) hanc quoque, quae revera voce fit, non minus graviter irrideat, et tum maxime, quum de re aliqua accurate definienda et cognoscenda agitur, quales omnino sunt, quae res ad philosophiam pertinent, se deprecari eam dicat, (cfr. *Gorg.* l. c. p. 449, B. *Protag.* ll. cc. p. 334, D; p. 348, D) suisque interrogationibus quam brevissime responderi velit, nihil ex his colligi aliud poterit, nisi Platonem dialogum in philosophia alius cujusvis orationis formae praeferendum existimasse. Qui enim sermo una perpetuitate deductus est, saepe eodem fere vitio laborat, quo *Schillerus* noster alicubi dicit laborare feminas, quae semper ad idem redeant, idemque contendant, etsi per totas horas ratio docta sit. Atque omnino Platonem, virum acutissimum, fugere non potuit, esse ejusmodi interdum hominum praejudicatas opiniones, ut nisi dialectice circumventi, nullo modo convinci ac refelli possint. Cfr. de tota hac re *Zeller* d. Philos. d. Griech. T. II (ed. sec.) p. 355 sqq. contra *C. Fr. Hermannum* Gesch. u. System d. Plat. Philos. T. I. p. 352 sqq. et *ejusd.* gesamm. Abh. p. 285 sqq.

nacti sint solum, hoc est, bene subactum animum, uberrimos et utilissimos possint fructus edere [36]). Ut autem agricola peritus sciat et tempus serendi et loca, ubi semina seri conveniat, et gaudeat quae severit, non, si post octo dies ea pulchra facta esse videat, sed multo magis delectetur, si octo mensium intervallo satio ad fruges pervenerit, sic etiam qui rerum pulchrarum et bonarum scientias tamquam serendas habeat, eum plerumque non minus quam agricolam peritum esse. Non igitur, inquit Plato, studiose atramento et calamo scribet cum orationibus, quae nec succurrere sibi sermone queant, nec veritatem sufficienter ostendere [37]). In quibus nihil aliud Plato significat, nisi talem virum non quae habeat docenda, ea scripta vel potius continua oratione perfecta et absoluta tradere, ut subito fructus earum scientiarum videat, sed disserendi arte semina spargere scientiae malle et ejus aperire fontes, unde peti possit sincera atque integra, quod multo praestantius sit. Illud enim, *rationem reddere posse cujusque rei* [38]), fere ubique est, quo nihil Plato pluris existimandum esse censet, quod quoniam unica sit ars dialectica quae efficere possit, quum ad interrogandum et respondendum homines aptissimos reddat, hanc omnibus aliis doctrinis tanquam columen accedere [39]).

Vides, quae potissimum causae fuerint, cur Plato in philosophia excolenda dialogo uti voluerit. Sed haud scio an praeter eas aliae reperiri possint, quae eum ad istud dicendi genus adduxerint. Primum enim illud constat, aliis temporibus alia hominum esse studia

---

36) cfr. *Phaedr.* p. 276, E.

37) *Ibid.* p. 276, C.

38) *Resp.* VII, p. 531, E; p. 533, C; p. 534, B et saepius.

39) *Resp.* VII, p. 534, D, E.

atque judicia. Et ut vitae instituta diversis temporibus diversa erant, sic etiam quum litterarum tractationem, tum inprimis philosophandi modum ac rationem diversa fuisse consentaneum est. Sic etiam genus dicendi in philosophia non semper idem mansit. Nam fuerunt veterum philosophorum permulti iique clarissimi, qui quae cogitando reperisse sibi visi erant, poetica forma carminibus ac versibus tradebant, sine dubio ea de causa, quod et ipsi poetico quodam afflatu incitati erant et majores eodem dictionis genere usos esse videbant. Quae enim res per aliquem virum singularem primum inventae et excultae sunt, ad eas se posteriores studiose applicare easque fovere et tueri solent, donec excellens alicujus hominis virtus novas induxerit, quod simulac factum est, obsolescunt et oblivioni traduntur, quae antea in usu atque honore fuerunt. Quod factum est per Socratem in philosophia. Nam quaecunque ejus fuerunt scientiae ipsius immutationes et emendationes, certe illud constat, inter eas philosophandi rationem ipsam ab eo institutam haud infimum locum tenere. Quae quum novitate dicendi et disquirendi admodum adolescentulorum animos alliceret, et ad imitandum incitaret [40]), non potuit fieri, quin qui eorum praestantissimis essent ingeniis praediti, idem conarentur et eadem prorsus via procederent, atque ita philosophiae quasi novam personam induerent. Quare quod Plato in philosophando dialogi forma usus est, fecit, quod omnibus temporibus homines fecerunt, quum quae consuetudine sint introducta, ea usurpare soleant. Quid autem, quum etiam a poetis dialogus ita esset receptus, ut plane novi generis carmina crearet, tragoedias dico et comoedias; nonne Plato hunc multo graviore arte dignum putaret, in

---

40) *Plat. Apol.* p. 23, C; p. 33, C.

qua adhiberetur, praesertim quum ipse adolescentulus tragoediis faciendis operam dedisse tradatur [41]) ideoque jam antea in ejus familiaritatem venerit?

Non igitur est, quod quaeras, qua de causa Plato dialogo usus sit, sed quaenam causa fuerit, cur posteriores, inprimis Aristoteles, hanc colloquendi formam rursus abjecerint, quam si perpetuo retinere voluissent, nemo, opinor, quaereret, qua de causa Plato ea usus sit.

Potest autem revera mirum videri, cur, quae ars a Platone ita erat exculta, ut quasi omnes numeros haberet, ea nihilo minus postea abjecta sit et relicta. Scimus enim, quot sunt Aristotelis libri adhuc superstites, eorum nullum dialogi forma scriptum esse, nec quae ejus librorum inscriptiones apud Diogenem Laertium commemorantur [42]), ejusmodi sunt, ut multos inter eos dialogos fuisse credideris. Quae igitur illius rei causa fuit? Huic quaestioni quamvis difficillimae is optime respondebit, qui Aristotelis et rationem philosophandi et tempus, quo vixerit, consideraverit. Quod enim attinet ad philosophandi naturam Aristotelis, non dubium est, quin ea admodum diversa fuerit a Platonis ratione. Hanc inter eos diversitatem in eo maxime cerni arbitramur, quod Plato fere ubique ita disputat, ut ab idea aliqua vel notione proficiscatur, quaerens quid bonum, quid malum, quid pulchrum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quid verum, quid falsum, quid honestum quid inhonestum sit, quarum omnium notionum quum in omnibus hominibus aliqua disciplina excultis quasi nativus quidam et insitus sensus sit, quo in iis dijudicandis et discernendis ducuntur, potest fieri, ut qui apte interrogandi peritus sit, interrogando

41) *C. Fr. Hermanni* Gesch. u. Syst. d. Plat. Philos. T. I p. 30.
42) Lib. V. p. 314 sq. (Colon. Allobr. 1616).

ex altero evocet et verum esse probet, quod ut ipse alter numquam in se latere, ita ne verum quidem aut concedendum esse putaverit. Sic omnes fere Platonis dialogi ethicum quendam recessum habent, ex quo initio enascuntur, quoque tanquam ad communem argumentorum sedem referendi sunt, qui ubi deest, dialogum ipsum Platoni molestum et incommodum factum et fere abjectum esse animadvertere possumus [43]).

Atque hoc est, quod Socratis maxime proprium fuisse legimus, qui fere non nisi de virtute deque iis rebus, quae ad eam pertinerent, disserere solebat [44]). Sic dialogus, qui inscribitur *Gorgias* et de arte rhetorica est, tantum abest, ut ejus discendae praecepta det, ut oratores deridendos sibi Plato proposuisse videatur, certe ea de causa, quod ad aliud quidvis magis arte rhetorica, quam ad probum honestumque probandum homines uti videbat. Et in dialogo de *Republica* magis est idea boni, quam civitatis, ad quam summa dialogi revocanda sit [45]).

Ad talia explicanda quis neget dialogum aptissimum esse? Contra quae homines vel tradita ab aliis vel ipsi experientia et usu edocti aliunde adsciverunt, quaeque his rebus ducti egerunt et omnino, quae historia magistra didicerunt, quae observaverunt, quas novas artes invenerunt, ut ab initio non ejusmodi sunt, quae insita et recondita in interiore hominum communi conscientia lateant, ita nec interrogando aut con-

43) Velut in *Timaeo* aliisque. Minus enim recte dicunt, qui, ut *Krischius* in libro: Forschung. auf d. Geb. d. alt. Philosophie Vol. I. p. 18 Platonem, quod in istis dialogis scribendis juvenilis ei animi volubilitas („die jugendliche Gelenkigkeit") defuerit, fere removisse dialogum narrant.
44) *Plat. Apol.* pp. 38, A; 31 B; 30 A sq. *Xenoph. Mem.* I, 1, 16. *Aristot. Metaphys* XII, 4, 3.
45) *Susemihl*, d. genet. Entwickl. d. Plat. Philos. T. II. p. 64.

cludendo inde erui poterunt. At quisque fere concedat necesse est, hanc Aristotelis philosophiae naturam esse, qui quamquam est ingenio acutissimo et mirabili scientiae copia, tamen fere ubique, quamcunque rem tractat, ab iis rebus proficiscitur, quae ad experientiam et diligentem rei cujusque observationem tamquam ad singulares quosdam hominum cognitionum fontes revocari possunt indeque repeti debent. Praeterea quotus quisque, quaeras, fuerit, cujus permagni interesset, Aristotelem per dialogum totam aliquam disciplinam, velut Rhetoricen, inde ab initio usque ad finem persequentem sequi interroganti respondentem? Quamobrem Aristoteles minus apte cujusque disciplinae tractationi dialogum adhiberi intelligens eum abjecit atque in ejus locum per continuas orationes disserendi consuetudinem substituit. Accedit, quod, sicut Platoni contigerat, Aristoteli minime vis illa divina Socratis disserentis ut viva quaedam imago, qua ad imitandum incitaretur, ante oculos obversabatur. Nam qui Aristotelem Athenis Socratem de rebus ad philosophiam pertinentibus disserentem audivisse tradiderint, erravisse eos probabile est, quum aliorum longe certiore auctoritate constet, aliquot annis post Socratis mortem Aristotelem natum esse[46]).

Quod autem ad tempora ipsa, quibus Aristoteles vixit, attinet, non fere nisi dedecore, nequitia, vitiis, eminebant[47]). Pristinae illae Graecorum virtutes, animi vigor atque alacritas, agendi sollertia, frugalitas, aut magna ex parte evanuerant, aut in dies evanescebant in earumque locum lassitudo et languor, socordia, inertia immigraverunt. Jucundissima quaeque res maxime accepta erat et utili praeponebatur. Veteres quisque laudabat, eorum virtutes non admodum imitari studens[48]). Religionum et rerum divinarum cura cessaverat[49]). Nam si qui, velut Thebani, bello sacro quod dicitur, rerum sacrarum acerrimi vindices exstiterunt earumque violatores bello persequi coeperunt, tamen id fecisse videntur magis ea de causa, quod suis ipsorum consiliis alios antevertisse senserant seque commodi sui exsequendi facultate privatos esse, videbant, quam quod ipsis rerum divinarum tutela curae esset[50]). Res militaris jacuit. Imperatores iique interdum peregrini[51]), bella gerebant saepissime copiis conductitiis, quibus stipendium quod praebendum erat quia praedando, diripiendo, aliis operas collocando comparare cogebantur, non potuit fieri, quin plerumque suo magis arbitrio et militum quam populi voluntate agerent, nec raro ipsorum sociorum urbes diriperent. Quare et ducum auctoritas parva erat et militum disciplina pessima. Domi oratores alius alium criminantes multitudinem adulabantur ad ejusque libidines et gratiam dicebant. Suo quisque commodo magis quam omnium saluti providendum esse existimabat. Publica judicia ut auctoritate et consilio regeret, non erat vir prudens cui contingeret, paucissimis, ut de rerum praesentium statu recte existimarent, quumque qui maxime civium suorum animos ad studia laude digna incendere nitebantur, frustra plerumque niterentur, alii

---

46) *Buhle* ad *Aristot.* opera Tom. I, p. 85. *Schaefer*, Demosthenes u. seine Zeit. III, 2, p. 39; cf. ibid. III, 1, p. 329 u. p. 359.

47) *C. Fr. Hermann* Lehrb. d. griech. Staatsalt. §. 170. — *Ejusd.* Culturgesch. d. Griech. u. Römer. Herausgeg. v. C. G. Schmidt, Gött. 1857. §. 35.

48) *Demosth.* Olynth. III, §. 21.

49) *Kortüm* Geschichte Griechenlands. Vol. II, p. 168 et 172.

50) cf. *Schaefer* Demosth. u. s. Zeitalt. T. I, p. 448. 1. cfr. quem laudat *Boeckh.* d. Staatshaush. d. Athener, T. I, p. 779 sq. Not. (ed. 2da).

51) *C. Fr Hermann* Lehrb. d. gr. St. A. §. 153, 16.

id ne tentandum quidem esse censebant. Alii se reipublicae commodo vel maxime studere simulantes non tam libertatis propugnatores quam proditores esse malebant. Ita discordiae, avaritia, rerum suarum studium ubique, animi magnitudinis et liberalitatis fere nihil aut non multum. Ante omnia magis otiandi et deliberandi consuetudo quam agendi celeritas et constantia animos occupaverat, quasi vero in majorum gloria et laudibus tamquam hereditate acceptis homines sibi acquiescendum statuissent [52]. Ut autem antea homines per se ipsos natura duce ac vita magni et praeclari evaserant, sic tum doctrina et artes tamquam adjumenta adhibita vix quidquam efficere poterant. Scilicet virtus aegre doceri posse videtur [53].

In his tamquam duarum aetatum confiniis Aristoteles constitutus, quasi divinans veteris Graecorum aetatis fabulam esse peractam, imminere novam, vidit esse prudentius et utilius, si quis, quae majores egregie fecissent, acute cogitavissent, prudenter constituissent, colligere vellet et posteritati tradere, quam si eorum mores et vitae instituta, magna jam ex parte debilitata et corrupta, reservare vel recreare conaretur. Itaque ipse, quidquid ubique veteres doctores scientiae vel artis expromserant, complectendum et in unum locum sibi conducendum esse ratus, ut quasi corpus quoddam scientiarum esset, quod posteritati traderetur, summum in hoc opere conficiendo studium ac laborem consumsit. Qua in re quomodo magna industria, doctrina, scientiae copia, acumine ingenii maximo versatus atque adjutus sit, non hujus quidem loci est dicere. Illud

---

52) Harum rerum quasi perpetui commentarii sunt orationes *Demosthenis* adversus *Philippum*, *Olynthiacae*, de *Chersoneso*, de *Corona*, aliae, de quibus verbo tantum lectores monuisse satis erit.

53) cfr. etiam *Plat. Menon*. p. 92, D sqq.

certe constat aliquot fuisse disciplinas, in quibus quia nihil a veteribus ad artis regulam elaboratum exstabat, multum ei laboris et temporis in eas insumendum fuisse, velut in dialecticam ipsam, quae quamquam a Socrate et Platone summo studio exercitata et exculta erat, tantum tamen aberat, ut ejus artis via aliqua vel ratio esset, ut plane illa Aristoteli quaerenda esset [54]. In quo negotio poterant eum adjuvare dialogi Platonis, quos magis credibile est duces ei artis construendae fuisse, quam ipsum eos imitari voluisse.

Quae cum ita sint, Aristotelem si omnino aliquos, certe paucos dialogos scripsisse admodum verisimile est, eosque si conjicere licet, scripsit adolescens, quum nondum, quid sibi agendum esset, satis perspexisset. Et revera inter ejus scripta pauca tantum commemorantur, in quibus per dialogum eum disseruisse credas. Sed quinam inter multos ejus libros, quorum inscriptiones a veteribus traduntur, ad istud dialogorum genus referendi sint, quum de ea re veterum testimonia pauca vel nulla exstent et multi ejus librorum temporis injuria interierint, vix umquam satis ad liquidum perduci poterit. Inter eos duos inprimis apud veteres memorari ait *Buhle* [55], *Νηρινθον* alterum inscriptum (sive *Κορίνθιον*), alterum *Eudemum*, in honorem Eudemi Cyprii compositum, de quibus eum consulas velim.

Referuntur Aristotelis dialogi ab ejus interpretibus inter ea scripta, quae vulgo **ἐξωτερικοὶ λόγοι** dici solent. Sed quinam illi ipsi **ἐξωτερικοὶ λόγοι** fuerint, quoniam

---

54) De *Sophistar. Elench.* c. 34, 8.

55) L. c. p. 121, annot. 1.

de hac re magis quam de alia ulla et veterum et recentiorum doctorum sententiae inter se discrepant [56]), ea de causa me operam non perditurum esse crediderim, si exposito breviter, quid jam veteres de ea re senserint, ipse eam denuo tractaturus sum, non quo me istam satis obscuram quaestionem plane absolvere et expedire posse putem, sed quod in diversis de ea re hominum doctorum sententiis nova aliqua eaque multo verisimilior et probabilior, credo, pronuntiari firmarique posse videtur.

Jam *Cicero*, qui primus inter veteres, quantum sciam, Aristotelis scripta commemorat, ita de iis tradit, ut duo eum Aristotelis scriptorum genera distinxisse appareat, unum *ἐξωτερικόν*, populariter, limatius alterum scriptum. »De summo autem bono«, inquit [57]), quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod *ἐξωτερικὸν* appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur; nec in summa tamen ipsa aut varietas est ulla apud hos quidem, quos nominavi (apud Aristotelem et Theophrastum) aut inter ipsos dissensio.« Alterius Ciceronis loci verba haec sunt [58]). »Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos *ἐξωτερικοὺς* vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem.« Videtur ex his satis colligi posse, Ciceroni quosdam Aristotelis libros sub eo nomine cognitos fuisse. Nam quod *Krischius* monet [59]), Ciceronem vix aliud quid habuisse, quo istam suam Aristotelis scriptorum distributionem conformaret et fulciret praeter locos ipsos, in quibus

---

56) *Stahr*, Aristotelia, II, p. 235 sqq.

57) De *Finib.* V, 5, 12.

58) In epistol. ad Attic. IV, 16, 2.

59) In: *Götting. gelehrt. Anz.* Vol. II, 1834 p. 1896.

Aristoteles *ἐξωτερικοὺς λόγους* commemoravisset, ea sententia parum habet, quo commendetur, nec verisimilis esse videtur, quum ex sola alicujus libri commemoratione vix quisquam tam firme, quam fecit Cicero, pronuntiare potuerit. Ceterum, num recte Cicero dixerit, alia quaestio est.

Simili modo *Strabo*, ubi historiam Aristotelis et Theophrasti librorum tradit [60]), duo alterius scriptorum genera significat. Narrat enim proximos post Theophrastum Peripateticos, quod pauca tantum Aristotelis scripta eaque maximam partem *ἐξωτερικὰ* haberent, minus accurate apteque ad agendum philosophari et *θέσεις* tantum *ληκυθίζειν* potuisse. Qua ex re colligere licet, Strabonem minime ex *ἐξωτερικοῖς* Aristotelis scriptis, quae tota ejus philosophiae ratio et indoles sit, perspici posse existimasse et *ἐξωτερικὰ* a Strabone iis scriptis opposita esse, in quibus Aristoteles altiorem philosophiae cognitionem aperiret.

Plutarchus in libro adversus *Colotem* [61]) narrat, quod Aristoteles et in Ethicis et in Physicis et per exotericos dialogos Platonis sententiam de ideis omni modo impugnaverit, id visum esse nonnullis magis contentionis quam veritatis causa esse factum.

---

60) XIII, p. 609, D sq. *Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν Περιπάτων τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραστον, ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν· τοῖς δὲ ὕστερον ἀφ' οὗ τὰ βιβλία ταῦτα προῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοσοφεῖν καὶ ἀριστοτελίζειν κτλ.*

61) Tom. X. p. 586 sq. *Reisk.* *Τάς γε μὲν ἰδέας, περὶ ὧν ἐγκαλεῖ τῷ Πλάτωνι πανταχοῦ κινῶν ὁ Ἀριστοτέλης καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν αὐταῖς ἐν τοῖς ἠθικοῖς ὑπομνήμασιν, ἐν τοῖς φυσικοῖς διὰ τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων, φιλονεικότερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ φιλοσοφώτερον ἔχεσθαι τῶν δογμάτων τούτων, ὡς προθέμενος τὴν Πλάτωνος ὑπερείπειν φιλοσοφίαν.* Cfr. etiam *Plut. vit. Alex.* c. 7.

Gellius quid interesse inter Aristotelis *ἐξωτερικὰ* et *ἀκροαματικὰ* putaverit, ex ejus verbis judicari poterit[62]). »Commentationum, inquit, suarum artiumque, quas discipulis tradebat Aristoteles philosophus, regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur. Alia erant, quae nominabat *ἐξωτερικά,* alia quae appellabat *ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ* dicebantur, quae ad rhetoricas meditationes, facultatemque argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant. *Ἀκροαματικὰ* autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quaeque ad naturae contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant. Huic disciplinae quam dixi *ἀκροαματικήν,* tempus exercendae dabat in Lyceo matutinum. Nec ad eam quemquam temere admittebat, nisi quorum ante ingenium et eruditionis elementa atque in discendo studium laboremque explorasset. Illas vero *ἐξωτερικὰς* eodem in loco vesperi faciebat, easque vulgo juvenibus sine delectu dabat atque eum *δειλινὸν περίπατον* appellabat, illum alterum supra *ἑωθινόν:* utroque enim tempore ambulans disserebat. Librosque suos earum rerum omnium commentarios seorsim divisit, ut alii *ἐξωτερικοὶ* dicerentur, partim *ἀκροαματικοί.«* Quum satis perspicue Gellius de hac re, quid senserit, exposuerit, non est quod diutius in eo explicando moremur. Quamquam ne sic quidem scimus, quae utriusque generis scripta agnoscenda sint.

Clemens Alexandrinus, qui eum morem fuisse dicit[63])

---

62) *Noct. Attic.* XX, 5.

63) *Strom.* V, p. 575, A. B. *Sylburg. Καὶ οἱ Ἐπικούρειοί φασί τινα καὶ παρ' αὐτοῖς ἀπόρρητα εἶναι καὶ μὴ πᾶσιν ἐπιτρέπειν ἐντυγχάνειν τούτοις τοῖς γράμμασιν· ἀλλὰ καὶ οἱ Στωϊκοὶ λέγουσι Ζήνωνι τῷ πρώτῳ γεγράφθαι τινά, ἃ μὴ ῥᾳδίως ἐπιτρέπουσι τοῖς μαθηταῖς ἀναγιγνώσκειν μὴ οὐχὶ πεῖραν δεδωκόσι πρότερον εἰ γνησίως φιλοσοφοῖεν. Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Ἀριστοτέλους τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν, τὰ δὲ κοινά τε καὶ ἐξωτερικά.*

post Pythagoram et Platonem Epicureis quoque et Stoicis, ut quaedam suorum scriptorum tamquam secreta apud se retinerent nec cuilibet eorum usum permitterent, Aristotelis quoque *ἐξωτερικὰ* eo referre videtur. Narrat enim a discipulis altera ejus scripta perhiberi *ἐσωτερικά,* altera communia et *ἐξωτερικά.*

Ne quid omittatur, quod huc spectet, etiam locum quendam *Luciani Samosatensis,* qui est in dialogo *βίων πρᾶσις,* velim conferas[64]), ubi Mercurius, qui Aristotelem jocose venumdans ejus virtutes praedicans inducitur, alium eum dicit intus apparere, atque extrinsecus videatur, alludens sine dubio ad rumorem, qui de varietate ejus disciplinae et scriptorum increbruerat.

Similia fere sed mirum in modum rhetorice amplificata leguntur apud *Themistium*[65]).

---

64) Tom. I. p. 566. ed. Reitz. Verba sunt: Herm. *τὸν Περιπατητικόν σε, φημὶ, τὸν καλὸν, τὸν πλούσιον· ἄγε δὴ ὠνήσασθε τὸν συνετώτατον, τὸν πάντα ἐπιστάμενον.* Agor. *Ποῖος δέ τις ἔστιν;* Herm. *Μέτριος, ἐπιεικὴς, ἁρμόδιος τῷ βίῳ, τὸ δὲ μέγιστον, διπλοῦς.* Agor. *Πῶς λέγεις; Ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔντοσθεν εἶναι δοκεῖ, ὥστε, ἢν πρίῃ αὐτὸν, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικὸν τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν.*

65) *Orat.* XXVI, p. 319, B. sqq. (ed. Harduin.) *Αὐτὸς δὲ δὴ ἐφ' ἅπασιν Ἀριστοτέλης ἆρα ἄπορός τε καὶ ἀμήχανος ἐφάνη τοῦ καινόν τι προσαυτουργῆσαι; καὶ οὐ πρῶτος μὲν διέταξε χωρὶς τοὺς λόγους κατὰ φῦλα ἑκάστους εἶναι ὅσα τε πρὸς ἕνα ἀγῶνα ὁρῶσι καὶ ὅσοι πρὸς ἐπιστήμην τῶν ὄντων καὶ ὅσοι πρὸς ἀρετὴν ἐξηγοῦνται· πρὶν γὰρ ἀναμὶξ ἅπαντα ἦν συμπεφυρμένα ὥσπερ ἡ Μήδων στρατιὰ πρὶν ἢ Κυαξάρην διατάξαι τὸν Δηϊόκεω. Ἴδιον δὲ Ἀριστοτέλους καὶ τὸ μὴ τοὺς αὐτοὺς οἰηθῆναι λόγους τοῖς δὲ πολλοῖς ὠφελίμους εἶναι καὶ τοῖς φιλοσόφοις, ὥσπερ οὐδὲ φάρμακα οὐδὲ σιτία τοῖς τε εἰς ἄκρον ὑγιαίνουσι καὶ τοῖς ἀκροσφαλῶς διακειμένοις. — Διὸ καὶ τοὺς μὲν θυραίους ὠνόμασε καὶ ἀνέτους ἐποιήσατο· τούς τε εἴσω τε ἀπέκλεισε καὶ μετεδίδου ὀλίγοις σὺν ἀσφαλείᾳ· τὰ κλεῖθρα δὲ τὰ ἀνα-*

Atque hi fere sunt scriptores, qui in libris suis aut ipsis verbis *ἐξωτερικῶν λόγων* mentionem faciunt aut eos significare voluerunt. Plura autem, quam hi omnes, veteres Aristotelis interpretes offerunt, *Ammonius Hermeae, Simplicius, Joannes Philoponus, David, alii* quos facile animadvertas eadem industria versatos esse in distribuendis Aristotelis scriptis, qua ipse scriptor omnes disciplinas et scientias ordinandas sibi illustrandasque susceperat. Qui etsi in universum inter se consentire videntur, in singulis tamen alios aliter statuisse apparet, quod certum est argumentum, hanc eorum distributionem ab ipsis magis vel ab alio nescio quo esse excogitatam, quam ab Aristotele profectam. Quorum interpretum ipsa verba quum longum sit hic adscribere, breviter de distributione, quam Aristotelis scriptorum instituerunt, videamus.

Ac primum quidem *Ammonius Hermeae* duplicem quandam divisionem proponere videtur. In altera ei posita sunt primum, quae ipse dicit *μερικά*, quae privatim ad unum aliquem scripta sint, velut Epistolae et quae alia rogatus ab Alexandro, Macedonum rege, Aristoteles confecerit, tum, quae dicit *τὰ καθόλου*, hoc est, quae ita scripta sint, ut in iis non singulae quaedam partes, sed omnes alicujus quaestionis loci per-

---

πεταννύντα καὶ ἀποκλείοντα σαφήνειά ἐστι καὶ ἀσάφεια· αἷς ἐπιτέτραπται πρὸς τοὺς ἀκροωμένους ὡς ὥραις, ἀνοίγειν τε τὴν νεφέλην καὶ αὖ πάλιν ἐπιτιθέναι. Καὶ δῆτα αὐτῶν οἱ μὲν δημωφελεῖς καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἐσκευασμένοι, φωτός τε εἰσὶν ἀναπλέῳ καὶ διαγεῖς· καὶ τὸ ὠφέλιμον αὐτῶν οὐ παντάπασιν ἀτερπὲς καὶ ἀνήδονον, ἀλλ' ἐπικέχυται Ἀφροδίτη καὶ Χάριτες ἐπανθοῦσι τοῦ ἐφολκὸν εἶναι. Τὸ δὲ αὖ μυστικόν τε καὶ ἐν ᾧ τὰ τέλεια ἱερά· τοῦτο δὲ ἐμηχανήσατο ὅπως καὶ ἔχοντες μὴ ἔχωσιν οἱ ἀμύητοι. Διὰ τοῦτ' ἐν ποσὶν κυλινδούμενοι οὗτοι οἱ λόγοι πλείοσι πεφραγμένοι εἰσὶ περιβόλοις ἢ τὰ ἐν Ἐκβατάνοις βασίλεια. — O inanem verborum sonitum, qui plerumque eo major esse solet, quo minus de quaque re sciri potest.

tractentur, ut libri de Anima, libri de Generatione et Corruptione, Auscultationes physicae, denique, quae nominat *τὰ μεταξύ*, quae media sunt inter *τὰ καθόλου* et *τὰ μερικά*. In altera divisione scripta *ὑπομνηματικὰ* et *συνταγματικὰ* distinguit, quorum illa, *ὑπομνηματικά*, conjectaneorum et commentariorum instar ad memoriae subsidium quasi quasdam litterarum copias, unde facile si usu venisset, depromeret, breviter et incondite congesserit. Haec *ὑπομνηματικὰ* iterum dividit, ut quaedam eorum sint *μονοειδῆ*, hoc est, in quibus de una tantum re velut de Anima, de Coelo cet., alia *ποικίλα*, varia, in quibus de pluribus rebus quaesiverit. — His opponit *συνταγματικά*, quae dictionem quoque et elocutionem rei ipsi aptam et convenientem habeant et argumentorum bene dispositam distinctionem. *Συνταγματικῶν* altera esse *διαλογικά*, altera *αὐτοπρόσωπα*; illa esse, quae non ex sua persona conscripserit, sed in quibus Platonem secutus aliorum personas loquentes induxerit, quae quia in usum communem et multitudinis scripta dilucide et perspicue fuerint, rejectis difficilioribus ratiocinationibus, *ἐξωτερικὰ* quoque nominari. *Αὐτοπρόσωπα* esse, in quibus ex sua persona disserat; quae eadem vocari *ἀκροαματικά*, quod in iis veris et perfectis auditoribus disciplina tradatur. Maxime autem differre dicit *διαλογικὰ* ab *αὐτοπροσώποις*. Nam in *αὐτοπροσώποις* quatenus ad perfectos auditores in his disserat, quae sibi videantur quaeque sentiat, subtilissimis fulta argumentis exhiberi ita, ut vulgi captui accommodata non sint; secus esse in *διαλογικοῖς*, in quibus etiamsi, quae sibi videantur, proponat, non tamen ita, ut vulgi judicium capere nequeat[66]). Porro Ammonium sequi quum ad rem nostram non spectet, omittamus.

---

66) In *Categor* p. 6. B. ed. *Aldin* 1546.

Paullo aliter *Simplicius*, doctissimus Aristotelis interpres, scripta ejus dividit. Nam quum Ammonius Aristotelis scriptorum *τὰ μὲν ὑπομνηματικὰ* et *συνταγματικὰ* esse dicat, Simplicius tantum *τὰ καθόλου* in *ὑπομνηματικὰ* et *συνταγματικὰ* dividit, quumque Ammonius *διαλογικὰ* etiam *ἐξωτερικὰ* vocari tradat, Simplicius *ἱστορικὰ* et *διαλογικὰ* ad *ἐξωτερικὰ* refert. Quae Ammonii et Simplicii divisiones, quantum inter se differant quaeque inde nascantur diversitates, facile cognosci potest.

Simplicium maximam partem satis accurate sequuntur *Joannes Philoponus* et *David*, alii Aristotelis interpretes iique sane insignes[67]).

Ab horum judiciis differt, qui multo post vixit, *Eustratius* sive quis alius commentarios illos ad Ethica Nicomachea scripsit[68]), qui tradit esse *ἐξωτερικά*, quae ad unum aliquem, qui praeter communem auditionem aliquid quaereret aut desideraret, Aristoteles conscripserit. Alio loco docet *ἐξωτερικοὺς λόγους* esse sermones vulgi, ad quos philosophus provocaverit[69]).

Potest ex his perspici multum jam veteres de vera *ἐξωτερικῶν λόγων* natura quique qualesve essent, dubitavisse, vel potius in eadem qua nos ignorantia versatos esse. Non minus recentiorum de ea re sententiae inter se discrepant, inter quas, quum longum sit, omnes enarrare, digna est quae notetur sententia *N. Madvigii*, viri doctissimi, quam ab aliis acceptam defendit in

---

67) *Scholia in Aristotelem* collegit *Brandis.* p. 35. fol. 6 lin. 10 sq. et p. 24. fol. a lin. 18 sq.

68) Ad *Ethic. Nicom.* I, c. 13, 9. *Ἐκεῖνα μὲν ἀκροαματικὰ ὀνομαζόμενά ἐστιν, ἐπεὶ πρὸς τοὺς κοινῶς ἀκροωμένους γεγένηται· ταῦτα δὲ ἐξωτερικά, διότι τούτων ἕκαστον πρός τινα ζητήσαντα γέγραπται ἔξω τῆς κοινῆς ἀκροάσεως.*

69) Ibid. VI, 4: *ἐξωτερικοὺς λόγους* explicat, *οὓς ἔξω τῆς λογικῆς παραδόσεως κοινῶς τὰ πλήθη φασί.*

excursu VII ad Ciceronis libros de Finibus[70]). Censet Madvigius Aristotelem nec generatim libros suos descripsisse, nec quosdam occultos habuisse, nisi quod nonnulli non celeriter confecti sint. Qui apud ipsum *ἐξωτερικοὶ λόγοι* commemorentur, eos non libros esse, sed communes hominum non rudium extra scholam sermones notionesque et *τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις* contrarios poni; eorum mentionem Aristotelem facere aut testificandi causa, aut, ut eos in praesens sufficere et tenendos esse dicat, quum subtilius rem exquirere non vacet. Hanc interpretationem, in quam jam ante eum alii, primus *Zeidlerus*[71]), inciderant, e verbis quoque effici putat. *Krischii*[72]) sententiam et *Stahri*[73]) interpretationem rejicit, illius, quod usus loquendi adversetur, alterius, quod mira et multiplex sit. Totam autem Aristotelis librorum divisionem ortam esse putat ex falsa interpretatione appellationis (*ἐξωτερικῶν λόγων*). Quod quomodo probare conetur, apud ipsum velim videas, quum ejus *τῶν ἐξωτερικῶν λόγων* interpretatio nobis quidem non minus quam eorum, quos reprehendit, falsa esse videatur. Quamquam recte dicit Aristotelem nec generatim libros suos descripsisse, nec quosdam occultos habuisse. Etenim si Aristoteles passim ad *ἐξωτερικοὺς λόγους* provocat, quis, quaeso, contendat, ea re esse confectam ab ipso scriptore librorum suorum distributionem aliquam? Sed illud, quod *ἐξωτερικοὺς λόγους* censet fuisse communes hominum non rudium extra scholam sermones notionesque, jam ea de causa recte dubites num verum sit, quia omnino Aristoteles judiciis multitudinis non multum tribuere

---

70) p. 860 sq. Viri doctissimi auctoritas facit, ut multi adhuc ejus sententiae addicti sint. 71) De genuino veterum docendi modo p. 6. cf. *Buhle* ad *Arist.* op. I, p. 130 sq. 72) In: *Götting. gelehrte Anz.* 2r Bd. 1834. p. 1893 sqq. 73) *Aristotelia*, II p. 267 sqq.

videtur[74]). Si autem nihil tribuit multitudinis judiciis, vix intellexeris, quomodo concedat quidquam hominum non rudium extra scholam communibus sermonibus aut notionibus, unde in judicando et sentiendo multitudo plerumque pendere solet, ut hodie, sic certe omnibus temporibus. Tum etiam ipsius sententiam ipse usus loquendi minime adjuvat, velut *ἐπέσκεπται*[75]). Scilicet non *ἐπέσκεπται* in communibus hominum non rudium sermonibus, sed tales homines extra scholam, si quid plurimum *σκέπτονται*, *disputant*, *deliberant*, *disceptant*, *quaerunt*, *speculantur*, *loquuntur*, non autem disputaverunt nec locuti sunt. Atque ne decet quidem philosophum minimeque Aristotelem aliorum niti auctoritate, nisi ante exploraverit, satisne vera sint, quae alter sentiat. Falsam omnino ejus esse interpretationem intelliges, ubi ipsam rem mecum accuratius examinaveris.

Quaeris igitur, quaenam sit ratio *τῶν ἐξωτερικῶν λόγων*? Hoc ex ipsis maxime cognoscendum esse arbitror, quum etiam nostris temporibus exstent Aristotelis *ἐξωτερικοὶ λόγοι*, partim in libris, quos eo nomine significat, de quibus infra suo loco dicendum erit, alii ejus scriptis intermixti, velut quaestio de temporis natura instituta *φυσικ. ἀκροασ.* IV, 10 sq., ubi quod mentio fit *ἐξωτερικῶν λόγων*, statim intellexeris non agi de libris vel scriptis quibusdam Aristotelis eo nomine notis, ad quae lectores relegentur, sed ibi aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον* institui ipsum. At, dixeris, vult fortasse quaerere Aristoteles de temporis natura propter

74) Cfr. Eth. Eudem. I, 3, 2: *Ὁμοίως δὲ ταύταις οὐδὲ τὰς τῶν πολλῶν* (sc. *ἐπισκοπεῖν δεῖ*). *εἰκῆ γὰρ λέγουσι σχεδὸν περὶ ἁπάντων, κἂν μάλιστα περὶ* + *ἐπισκεπτέον μόνας· ἄτοπον γὰρ προσφέρειν λόγον τοῖς λόγου μηδὲν δεομένοις ἀλλὰ πάθους.* (Locus ut apparet mutilus est et corruptus). cf. Eth. Nicom. I, 5, 2 sq. 75) Eth. Eudem. I, 8, 5.

disceptationes de ea re hominum non ineruditorum vel etiam philosophorum, ut Platonis, qui de tempore agit in *Timaeo*[76]) ejusque sententiam corrigere? Minime vero. Obstat enim *διὰ* cum genitivo conjunctum, quod significat dubitationem per *ἐξωτερικοὺς λόγους* tamquam per medium quoddam ire et per eos perducendam esse. Accedit, quod, ubi alios notat, id plerumque fit nomine cujusque addito, ut paullo ante[77]), ubi Platonem *τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν* idem esse dicere ait. Nihil igitur restat, nisi ut nostro loco Aristotelem aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον* inire dicamus. Quaerit autem tempus utrum earum rerum sit, quae sint, an earum, quae non sint; deinde, quae sit ejus natura. Censet suspicari quempiam posse ideo tempus non esse earum rerum, quae sint, quia pars ejus jam fuerit, nec sit, pars futura sit necdum sit. Ex his autem constare et tempus infinitum et quod semper sumatur. Quod vero constet ex iis, quae non sint, non posse videri earum rerum esse, quae sint. Ad haec accedere, ut cujusvis rei dividuae, si sit, necesse sit, quando sit, aut omnes ejus partes esse aut aliquas; temporis autem alias partes interiisse, alias futuras esse, praesentem esse nullam, quum tempus dividuum sit. *Nunc* autem vel, quod momento praesens sit, non esse partem temporis; metiri enim partem vel mensuram esse eam (totius) et necesse esse totum compositum sit ex partibus; tempus vero non videri compositum esse ex iis, quae momento praesentia sint. Porro ipsum *nunc* vel momentum praesens, quod videatur disterminare praeteritum et futurum, utrum unum atque idem semper permaneat, an sit aliud et aliud, non facile esse ad videndum. Nam si semper sit aliud et aliud, nulla autem sit earum, quae in tempore sint, alia et alia pars simul, nisi si qua

76) p. 37. D. sq. 77) *Ibid φυσικ. ἀκροασ.* IV. 2, 2.

contineat, et altera contineatur, ut minus tempus a majore, quod vero nunc non sit, antea autem fuerit, necesse sit interisse aliquando, etiam nunc praesentia simul secum non futura esse necesse esse, sed interisse semper quod prius fuerit. At in semet ipso, ut interierit, fieri non posse, quia tum fuerit[78]), in alio autem nunc, ut interierit quod prius fuerit nunc, non fieri posse. Scilicet sumatur fieri non posse, ut cohaereant inter se quoque tempore praesentia sicuti punctum puncto; si igitur in eo, quod fuerit deinceps, non interierit, sed in alio, in mediis nunc, quae infinita sint, simul esse, id quod fieri non possit. Nec vero fieri potest, inquit, ut semper idem permaneat; nullius enim rei dividuae terminatae unus est terminus, nec si ad unum est continua, nec si ad plura; praesens autem vel nunc est terminus et tempus licet sumere terminatum. Praeterea si simul esse tempore et neque prius neque posterius esse nihil aliud est, nisi in eodem esse et in praesenti nunc esse, certe si ea, quae sunt priora et quae posteriora, essent in hoc nunc praesenti, etiam ea, quae ante decem millia annorum facta sunt, simul essent cum iis, quae sunt facta hodie, nec esset quidquam prius aut posterius aliud alio.

Tali modo de iis, quae in ipso tempore sunt, per *ἐξωτερικὸν λόγον* disputavit. Per eundem disserit in iis, quae l. c. sequuntur, quid sit tempus et quae ejus natura; quae quum longiora sint, quam ut huc transscribi possint, apud ipsum velim videas.

78) Non sensisse videtur Aristoteles, se quodam modo repugnantia inter se locutum esse. Nam si nunc vel praesens momentum omnino nulla est temporis pars, ne interire quidem potest nec manere. Qui enim, quaesiveris, interire potest id, quod omnino ne est quidem? Si autem antea erat, quia non particeps erat nullius temporis, etsi vel minimum, aliquod tamen temporis spatium ei tribuendum esse videtur. Sed haec dubitando persequi nolumus.

Habes unum aliquem *ἐξωτερικὸν λόγον*, atque haud scio an eorum plures hic illic inter alias ejus disputationes abditi ac minus cogniti lateant[79]). Quod attinet ad eorum naturam, videntur esse quaestiones vel potius quaestiunculae, disceptatiunculae subtiliores, talia quae praemittuntur aliis quaestionibus spectantibus ad res, quae latius patent quaeque varias dubitationes habere possunt, ut si bene cognitum et perspectum habeas unum quidque et quid quaeque res sit quaeque ejus natura ac vis, ratione ac via de ea disputari possit.

At vero etiam continuo nexu inter se cohaerere *ἐξωτερικοὶ λόγοι* possunt et in unum locum esse conducti ita, ut ab alio quovis scripto nihil fere omnino differant. Tales esse videntur libri illi Aristotelis, qui vulgo feruntur *ἠθικὰ μεγάλα* vel *Magna Moralia* quod ne parum considerate dixisse videar, jam de iis accuratius videndum est.

Primo adspectu apparet hos libros idem argumentum cum Ethicis Nicomacheis habere commune, quod est de moribus vel potius de iis rebus, quae ad hominum societatem, hoc est, ad rerum civilium rationem pertinent[80]). Sed quamvis uterque tractatus spectet ad res politicas vel civiles vel etiam ad summum bonum constituendum[81]), tamen esse, quo differant, haud difficulter intelligi poterit. Quamquam enim in utra-

79) *Wiener Jahrbb.* v. 1833, Jan. Febr. u. März p. 202. „Herr H. *Ritter* geräth (Gesch. d. Philos. III p. 22) vorerst auf die sonderbare Vermuthung, ob nicht etwa die exoterischen Untersuchungen des Aristoteles mitten in den esoterischen Schriften enthalten gewesen". *Creuzer.* Quae summi viri sententia quamquam a Creuzero improbatur, digna tamen est quae observetur, nec ab omni eam veritate aberrare nobis quidem persuasum est. 80) *Magn. Mor.* I, 1, 1—3; *Ethic. Nic.* I, 2, 5 et 9. 81) *Magn. Mor.* I, 1, 10 et saepius. *Ethic. Nic.* I, 2, 1 et saepius.

que disputatione sibi propositum habet scriptor quaerere qui sit finis bonorum, in quo consequendo omnium hominum studia inter se consentiant, talemque esse felicitatem vel beatitudinem reperit, ejusque effectricem virtutem, tamen in Ethicis Nicomacheis aliud quid consequi velle videtur. Non enim cognitionis vel scientiae causa ab eo instituta sunt, non ut videat, quid sit virtus, quaerere se ait, sed ut ipsi boni efficiamur et virtutem exerceamus, quod nisi fiat, nihil ejus utilitatis esse [82]). Quod plane secus est in altera disputatione, in qua quam accuratissime subtilissimeque naturam ipsam virtutis atque ejus indolem cognoscere ac definire studet [83]). Quare recte credideris alterius tractationis rationem ab altera diversam esse, et alteram magis ad institutionem vitae spectare dixeris, alteram magis ad cognoscendi vim rationemque referendam esse concesseris. Atque sic jure de iis existimari posse intelligi licet per totum Magnorum Moralium disserendi modum. Continent enim nihil aliud fere, nisi seriem quandam continuam disputationum vel definitionum inter se conjunctarum, quae a reperiendo summo bono eoque hominum profectae maxime virtutem virtutesque singulas quaeque ad ea pertinent, attingunt, quibus immixta sunt placita philosophorum [84]), sententiae poetarum [85]), opiniones, existimationes, ratiocinationes in vulgus notae ac probatae, talia, quae sive a prioribus instituta sive communi hominum sensu recepta ita erant pervulgata, ut non dubia esse viderentur et tamquam communium proverbiorum loco dici solerent [86]).

82) *Ethic. Nic.* II, 2, 1. 83) *Magn. Mor.* I, 4, 10—9, 6. 84) I, 1, 6 sq. 26. I. 9, 7; I, 20 (21) 4; I, 34, 10 sq. I, 35, 25; II, 6, 2; cf. II, 15, 6. 85) I, 20 (21) 8; II, 11, 2 sq. II, 11, 25 et 29. II. 15, 1. 86) I. 12, 3 sq. I, 13, 1 sq. I, 34, 2; ibid. §. 15; ibid. §. 30; II, 3, 9; II, 7, 3; ibid. §. 26; ibid. §. 30; II, 11. 2 et 3; ibid. §. 6; ibid. §. 18; II, 12, 1; II, 15, 3 sq.

Atque haud scio an in talibus rebus exagitandis et excutiendis totius disputationis finis sit positus. Haec igitur accuratius examinans et aliorum tamquam adversantium dicta adhibens [87]) et syllogistica arte in utramque partem concludens [88]) modo redarguit [89]), tum probat [90]), et saepe in longiores disceptationes excurrens [91]) animadvertit atque considerat, quid in quaque re maxime probabile et verum videatur [92]). Sic statim in initio, postquam de virtute vel potius de bono sibi quaerendum esse animadvertit, exquirit subtiliter, istud bonum quale sit, quod simulac sibi persuasit esse bonum non in universum, sed quod hominibus bonum sit, de quo dici oporteat, rursus patet in hoc distinguendum esse bonum quonam modo dicatur. Non enim simplex bonum esse, sed dici aut id, quod in quaque re optimum sit, quod propter suam ipsius naturam expetendum sit, aut cujus quae res participes sint, bonae appellentur, quae sit idea boni, cet. Ita de bono, quod hic quaerendum sit, nimium quantum in iis, quae sequuntur, multus est. Fortasse ratio ejus in his rebus disserendi optime perspici potest ex iis, quae I, c. 20 (alii 21) leguntur, ubi de fortitudine dicturus eamque circa fiduciam et metum versari arbitrans quaerit porro, circa cujusmodi metum et fiduciam versetur; num ignarus is sit, qui metuat, ne rem suam familiarem perdat, aut fortis is, qui in tali causa confidenti sit animo, necne. Minime vero. Eodem modo qui metuat morbum, eum ignavum vel timidum non esse existimandum nec fortem, qui non metuat. Non

87) I, 34, 28. 88) I, 1, 22 sq.: I, 34, 31 sq.; II, 6, 1 sqq. 89) I, 1, 6 sq.; ibid. §. 26. I, 9, 7 sq. I, 34, 13 sq. 90) I, 1, 8; I, 34, 10 sq. 91) I, 12 sq.; II, 6; II, 7; II, 11. 92) I, 20 (21), 10 et saepius.

igitur in talibus timoribus aut fiduciis dici posse censet esse fortitudinem. At ne in talibus quidem, velut si quis non metuat tonitrua aut fulmina aut aliud quidpiam rerum earum, quae hominibus terrorem injiciant, quas qui non metuat, non fortem eum esse sed furientem. In timoribus itaque et fiduciis, quae homines attingant, fortem cerni posse, in iisque maxime, quae aut omnes aut plerique metuant, in quibus qui animum non abjiciat, eum fortem esse. His jam definitis considerandum esse censet, quoniam multipliciter fortes dicantur, qualis sit fortis. Esse enim propter experientiam fortem aliquem, velut milites. Hos enim experientia doctos scire in tali aut loco aut tempore aut conditione minime esse periculi quidquam. Sed tali instructus scientia qui hostes sustineat, eum non fortem esse, quia, si nihil earum rerum adsit, non sustineat. Itaque quos experientia fortes reddiderit, eos fortes dicendos non esse. Neque Socratem recte fortitudinem scientiam dicere; scientiam enim ex consuetudine experientiam capientem scientiam effici; qui autem propter experientiam hostes sustineant, eos neque a nobis dici neque ab ullo dictum iri esse fortes. Non igitur fortitudinem scientiam esse. Rursus esse fortes aliquos ex eo, quod experientiae contrarium sit, hoc est, propter inscientiam vel imperitiam. Nam qui, quae impendeant, non praevideant, eos propter ignorantiam earum rerum, quae consecuturae sint, in metu non esse. Verum ne hos quidem fortes dicendos esse. Esse alios, qui fortes habeantur propter perturbationes, velut amantes et animi ardore quodam aut aestu incitatos. At ne hos quidem fortes dici debere, quoniam, si eorum perturbationes sublatae sint, fortes esse desinant. Fortem autem perpetuo fortem esse oportere nec vero propter perturbationem aliquam. Quare nec feras, ut sues, fortes quisquam dixerit, quia pro se dimicant,

quum icti dolorem senserint. Non vero oportere, qui sit fortis, eum ob perturbationem esse fortem. Rursus esse aliam fortitudinem, quae civilis existimetur, si qui pudore civium inducti pericula subeant et fortes esse videantur. Quemadmodum verbi causa Homerus[93]) Hectorem dicentem inducat:

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει,

quae causa sit, quod sibi pugnandum esse credat. At ne hanc quidem dicendam fortitudinem esse, quia de hujusmodi fortitudine eadem, quae antea, dici possint. Neque enim quidquam efficere posse fortitudinem, quo sublato fortitudo ipsa sublata sit. Tolle enim pudorem, fortitudinem sustuleris. Porro et aliter fortes existimatos esse ob spem et bonarum rerum exspectationem. Ne hos quidem dici oportere fortes, quum tales et in talibus versantes fortes appellare ineptum videatur. Neminem igitur horum, quos dixerit, fortem appellandum esse. Qualis igitur natura constitutus et qui sit, quem vere fortem dicas, jam considerandum esse. Atque ut paucis, inquit, absolvam, qui nulla jam supra dicta causa permotus fortis est, sed qui, quod honestum esse judicaverit, id faciat, sive quis concedat, sive non concedat. Neque tamen prorsus sine perturbatione et impulsu fit fortitudo, sed hic impulsus a ratione oportet proficiscatur honesti causa. Qui igitur ratione ductus honesti causa ad pericula suscipienda promptus est metu vacans, hic fortis censendus est et in his fortitudo consistit. Metu vacans autem vel intrepidus dici non potest, quando ita acciderit forti, ut omnino non pertimescat. Qui enim ita est constitutus, ut nihil ei quidquam timoris incutiat, is fortis non est. Nimirum ita et lapis et reliqua inanima fortia essent.

---

93) Il. X, 100.

Sed oportet et attingat fortem metus et sustineat. Si enim metus expers sustinet, fortis non est. Praeterea etiam metu vacans vel intrepidus dici potest, ut jam supra distinximus, propter timores et pericula non omnia, sed propter ea, quae rem auferre possint. Metu vacans item nec in fortuito et quovis tempore, verum in quo et metus et pericula prope imminent. Nam si quis post decem annos futurum non metuit periculum, is nondum fortis est. Sunt enim, qui confidant propterea, quod longissime absunt à periculo, qui si essent proxime, morerentur metu. Talis igitur est fortitudo et vir fortis.

Per totum hoc caput Aristotelem disserentem de viro forti et de fortitudine attento animo audivimus et perspexisse nos arbitramur talibus disceptationibus non modo contineri disciplinam aliquam aut doctrinam, sed definitiones earum notionum, de quibus non inter omnes conveniebat et aliquo modo ambigi poterat, quae quum quasi antecedere debeant disciplinam quamque, quae in artis formulam redigenda est, velut hic scientia rerum civilium vel si mavis earum, quae ad mores pertinent, apte tales disputationes, quales hae sunt, **ἐξωτερικοὶ λόγοι** dici poterant, praesertim quum Aristoteles in his magis quam in ullis aliis quod sciam, popularis opinionis et notionum de quaque re multitudinis rationem duxerit. Nam *ἠθικὰ μεγάλα* eas vix dici posse jam inde apparet, quod totus hic locus ad mores spectans multo brevius et compressius absolutus est, quam quae dicuntur Ethica Nicomachea et Eudemia. Sunt sine dubio hae disputationes ab Aristotele confectae inter ethica opera primae [94]), quod vel eo probari possit, quod ideas quas dicunt, quas a Platone inductas esse constat, non tam vehementer in his libris op-

94) Post *Analytica* (cf. II, 6, 15) et *Categorias*.

pugnat, quam id postea ab eo factum esse scimus, a quibus etsi in summo bono constituendo non proficiscendum esse censet, tamen eas quodam modo retinet et tueri videtur [95]).

Quid? quod hae disputationes speciem quandam dialogi prae se ferunt. Saepissime enim non solum ipse interrogat [96]), quasi coram sit, qui respondeat, sed saepe etiam alios tamquam sermonis partes habentes per *inquit* et *inquiunt* introducit [97]). Et si dialogus non solum is dicitur, qui cum altero interrogando et respondendo instituitur, verum etiam dialogi simile quid esse videtur, si quis secum ipso tamquam cum altero confabulans voce non emissa interrogando et respondendo sermones versat [98]), haud scio an hae disquisitiones magis, quam ulla alia, quae novimus Aristotelis scripta, dialogorum nomine referendae sint, quamquam dialogum in iis evanescentem et quasi animam efflantem videmus. Sunt fortasse hi libri illa **ἐξωτερικά,** quae Cicero aeque ac commentarios de summo bono esse sed populariter et minus limate scripta fuisse affirmat [99]). Sicut revera fere sunt. Nam in iis de summo bono agi jam statim ab initio cerni potest. Populariter autem et minus limate scripta, si quid video, ea de causa dicit, quia in summis rebus ut popularem de quaque re opinionem respexerit, sic etiam dicere sibi licere ad eam putaverit, modo nimis breviter, modo longius et fusius, interdum minus ordinatim. Quam breviter, quaeso, dicit de temperantia [100]), de liberalitate [101]), de amicitia [102]), ut alias omittam; uberius exponit de fortitudine [103]), de justitia [104]), aliis.

95) I, 1, 12 et 21 sq. 96) I, 1, 12, 13, 16; I, 2, 8, 9, 10 et saepius. 97) II, 3, 15; II, 6, 8; II, 7, 10, 11; II, 11, 12. 98) cf. not. num. 4. 99) De *Fin.* V, 5, 12. 100) I, 22. 101) I, 24. 102) I, 32. 103) I, 20 (21). 104) I, 34.

Et quamquam omnino brevitati studere videtur, tamen quam saepe in libri primi capite primo, quum de bono et quidem nobis bono sibi loquendum esse reperisset, id ipsum repetit! et alia ejusmodi, velut non recte Socratem virtutes scientias facere [105]), quod quamquam in eadem causa demonstrare conatur, tamen minime iisdem rationibus. Et ubi de idea dicere coepit [106]), ea mox relicta ad aliud transit, quo absoluto post longiores demum ambages ad illam redit deque ea iterum exponit [107]). Verum etiam alibi est, quod notari possit, ut I, 23, 1, ubi eodem fere modo atque antea I, 9, 5 virtutes medietates quasdam affectuum esse censet. Quod ut verum esse probet, de medietate illa quae in eo consistat, ut ne quid nimis aut parum fiat, cuique ad recte agendum plurimum tribuit, eadem fere tractat, quae jam in iis, quae antecedunt, docuerat [108]), scilicet non oportere irasci supra modum, neque contra ita affectum esse, ut in nulla re umquam irascare, nam talem quoque hominem jure vituperari, quia nulla re moveri videatur.

Pari modo ordinem rerum explicandarum minus diligenter secutus est, ut in universum, sic de singulis quibusdam. Quum enim in libri primi capite extremo de virtutibus se et, quae sint et in quibus, quasque res attingant, egisse dicat, statim a secundi libri initio ad singulas quasdam virtutes considerandas redit, quas aequiore loco tractari oportebat. Tale aliquid animadverti licet etiam I, 35, 27, ubi dubitari posse dicit, utrum prudentia (*φρόνησις*) virtus sit necne, quum tamen jam ante §. 12 prudentiam (*φρόνησιν*) virtutem esse dixerit, et §. 17 quod probare studet, sapientiam inter virtutes esse numerandam, id ipsum ex eo patere

---

105) I, 1, 7 et ibid. 26. 106) I, 1, 11, et 12. 107) I, 1, 21 sq. 108) I, 7, 3.

censet, quod prudentiam (*φρόνησιν*), qua sapientia melior sit, virtutem dici aequum sit, quum tamen aliquanto post, ut indicavimus, prudentiam (*φρόνησιν*) virtutem esse evincere studeat [109]). Sed haec hactenus; habes in his libris Aristotelem ut ubique, acutissimum et in rerum notionibus aperiendis et definiendis diligentia praestantissimum illum quidem, sed in ipsis sententiis ordinandis et aptandis fere minus interdum curiosum et circumspicientem, quale aliquid plerumque iis, qui ad communes hominum existimationes disserunt, usu venire solet.

Reliquum est, ut videamus, de quibus rebus Aristoteles passim se ait in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* exposuisse, eaene in his libris inveniantur: quas si in iis legi cognoverimus, qualis suo quaeque loco res descripta est, haud equidem sciam, quid obstet, quo minus nostros libros, hoc est, Magna Moralia *ἐξωτερικοὺς λόγους* esse jure existimemus. Atque revera inveniuntur nec admodum difficile est id ostendere. Itaque locos percenseamus, in quibus Aristoteles lectores de quaque re consulendi causa ad *ἐξωτερικοὺς λόγους* delegat.

Primus veniat locus *Ethicorum Nicom.* I, 13, ubi quum beatitudinem vim quandam animi virtutem sequentem dixisset eamque in animo positam esse significasset, eum qui ad rempublicam administrandam accessurus sit, quum homines bonos et legibus obedientes efficere velit, cognovisse etiam, quae ad animum pertineant, oportere censet eodem modo, quo qui oculos curare velit, opus sit ut habeat totius corporis naturam perspectam. *Θεωρητέον δή*, pergit §. 8, *καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς· θεωρητέον δὲ τούτων χάριν, καὶ ἐφ᾽ ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα· τὸ γὰρ ἐπὶ πλεῖον ἐξακριβοῦν ἐργωδέστερον ἴσως ἐστὶ τῶν προκειμένων.*

---

109) I, 35.

Λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις ἀρκούντως ἔνια, καὶ χρηστέον αὐτοῖς· οἷον τὸ μὲν ἄλογον αὐτῆς εἶναι, τὸ δὲ λόγον ἔχον. Haec ita intellexeris: Qui rempublicam administraturus est, ei animi quoque natura ac vis cognoscenda est earum, quas dixi, rerum gratia et quatenus satis est ad ea, quae quaerit (*ὁ πολιτικός*); nam si accuratius ea perquirere conetur, fortasse majora suscipiat, quam quibus ad ea quae spectet, opus sit. Hoc est: Qui reipublicae administrandae munus susceperit, non dedita opera, ut dicunt, de animo cogitabit et philosophabitur, sed eum tantum in finem, ut quae habeat proposita, ea consequatur. — Quum igitur *πολιτικῷ* accuratiore animi cognitione non opus sit, remittit eum ad *ἐξωτερικοὺς λόγους*, in quibus quoniam nonnulla sufficienter disputata sint, iis utendum ei esse censet. Jam quae sequuntur, ut, unam animi partem expertem esse rationis, participem alteram, in quas duas partes animum in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* dividi ait, ea leguntur *Magn. Mor.* I, 5, 1: *Ἔστι δ᾽ ἡ ψυχή, ὡς φαμέν, εἰς δύο μέρη διῃρημένη, εἴς τε λόγον ἔχον καὶ ἄλογον.* cf. ib. I, 35, 3: *Διωρίσθη μὲν οὖν ὑπὲρ ψυχῆς ὡς τύπῳ καὶ πρότερον, ὅτι τὸ μὲν αὐτῆς ἐστὶ λόγον ἔχον, τὸ δ᾽ ἄλογον μόριον τῆς ψυχῆς.* cfr. ib. II, 10, 2. — Erat autem haec animi in duas partes distributio, a Pythagora primo profecta, a Platone quoque recepta, cujus rei praeter *Ciceronem* 110) *Plutarchus* 111) quoque et *Plato* 112) ipse testes sunt.

110) *Tusc. Disp.* IV, 5, 10: Quoniam quae Graeci *πάθη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem *Pythagorae* primum, dein *Platonis* descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt; *alteram rationis participem faciunt, alteram expertem.* cf. ib. II, 21, 47. 111) *Placit. philos.* IV, c. 4: *Πυθαγόρας, Πλάτων κατὰ μὲν ἀνωτάτω λόγον διμερῆ τὴν ψυχήν — τὸ μὲν γάρ ἐστι λογικόν, τὸ δὲ ἄλογον — κατὰ δὲ τὸ προσεχὲς καὶ ἀκριβὲς τριμερῆ· τὸ γὰρ ἄλογον διαιροῦσιν εἴς τε τὸ θυμικὸν καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.* 112) *Reip.* IV, p. 439 D: *Οὐ δὴ ἀλόγως, ἦν δ᾽ ἐγώ, ἀξιώσομεν αὐτὰ διττά τε καὶ ἕτερα*

Ex hac quoque re cernere licet, Aristoteli, quum Magna Moralia, vel potius *ἐξωτερικοὺς λόγους* scriberet, nondum Platonis, magistri sui, placita admodum improbanda visa esse; quamquam hanc animi divisionem quam parvi postea duxerit, quum diligentius de ea re quaesivisset, cognoscas ex iis, quae de *Anima* tradit III, 9, 2, ex quo loco haec adscribere liceat: *Ἔχει δ᾽ ἀπορίαν εὐθύς, πῶς τε δεῖ μόρια λέγειν τῆς ψυχῆς, καὶ πόσα· τρόπον γάρ τινα ἄπειρα φαίνεται καὶ οὐ μόνον ἅ τινες λέγουσι, διορίζοντες λογιστικὸν καὶ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν, οἱ δὲ τὸ λόγον ἔχον καὶ τὸ ἄλογον· κατὰ γὰρ τὰς διαφορὰς δι᾽ ἃς ταῦτα χωρίζουσι, καὶ ἄλλα φανεῖται μόρια μείζω διάστασιν ἔχοντα τούτων, περὶ ὧν καὶ νῦν εἴρηται, τό τε θρεπτικόν, ὃ καὶ τοῖς φυτοῖς ὑπάρχει καὶ πᾶσι τοῖς ζῴοις, καὶ τὸ αἰσθητικόν, ὃ οὔθ᾽ ὡς ἄλογον, οὔθ᾽ ὡς λόγον ἔχον θείη ἄν τις ῥᾳδίως. Ἔτι δὲ τὸ φανταστικόν, ὃ τῷ μὲν εἶναι πάντων ἕτερον, τίνι δὲ τούτων ταὐτὸν ἢ ἕτερον, ἔχει πολλὴν ἀπορίαν, εἴ τις θήσει κεχωρισμένα μόρια τῆς ψυχῆς κτλ.* Vides ex his Aristotelem istam animi divisionem ne agnoscere quidem et rejicere, quasi numquam eam probaverit, nec id omnino mirum est. Scilicet quo loco eam probavit, erat is *ἐξωτερικὸς λόγος* id est, ab aliis profectus, quem quidem fuit, quum admittere volebat.

Transeamus ad alios locos, qui sunt de *ἐξωτερικοῖς λόγοις*. In *Politicorum* libr. VII, 1 de optimo reipublicae statu dicere aggressus neminem de eo satis apte et rationi convenienter disputare posse existimat, qui non antea, quae sit vita maxime expetenda, perquisi-

ἀλλήλων εἶναι, τὸ μὲν ᾧ λογίζεται, λογιστικὸν προσαγορεύοντες τῆς ψυχῆς, τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷ τε καὶ πεινῇ καὶ διψῇ καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται, ἀλόγιστόν τε καὶ ἐπιθυμητικόν, πληρώσεών τινων καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον. Cf. ib. p. 431 A.

verit. Nisi enim hoc bene cognitum sit, non, quae sit optima reipublicae ratio, perspici posse. Optime enim vivere consentaneum esse eos, qui pro sua quisque ratione optimo reipublicae statu utantur, nisi si quid praeter omnium opinionem accidat. Itaque primum oportere constet, quae sit vivendi ratio omnibus hominibus maxime optanda, deinde, utrum in civili hominum societate eadem sit quae separatim, an diversa. Jam pergit ib. §. 2: *Νομίσαντες οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. ὡς ἀληθῶς γὰρ πρός γε μίαν διαίρεσιν οὐδεὶς ἀμφισβητήσειεν ἄν, ὡς οὐ, τριῶν οὐσῶν μερίδων, τῶν τε ἐκτὸς καὶ τῶν ἐν τῷ σώματι καὶ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, πάντα ταῦτα ὑπάρχειν τοῖς μακαρίοις δεῖ.* In quibus quod alteram enuntiationem ope particulae *γὰρ* priori adjunxit, significavit, quid sit, quod ad *ἐξωτερικοὺς λόγους* provocaverit, et statim animadverteris esse bonorum in tres partes distributionem, de qua illic dixerit. Respicit autem Magna Moralia vel potius — quid enim nos prohibet jam iis suum nomen imponere — *ἐξωτερικοὺς λόγους* I, 3, 1. Verba sunt: *Μετὰ τοίνυν τοῦτο ἔχει τἀγαθὰ καὶ ἄλλην διαίρεσιν. Ἔστι γὰρ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἐν ψυχῇ, οἷον αἱ ἀρεταί· τὰ δ᾽ἐν τῷ σώματι, οἷον ὑγίεια, κάλλος· τὰ δ᾽ἐκτός, πλοῦτος, ἀρχή, τιμὴ ἢ εἴ τι ἄλλο τῶν τοιούτων. Τούτων δὲ τὰ ἐν ψυχῇ βέλτιστα. Τὰ δ᾽ ἐν ψυχῇ διώρισται ἀγαθὰ εἰς τρία, εἰς φρόνησιν, εἰς ἀρετὴν καὶ ἡδονήν.* In quibus quum plane eodem modo bona in tres partes distribuat, quorum alia sint in animo, ut virtutes, alia in corpore, ut bona valetudo, pulchritudo, alia externa, divitiae, dominatio, honor, ea quae in animo sint, optima esse arbitratur. Deinde, quod breviter concludendo sibi reperisse videtur, istud bonum, cujus omnes homines maxime appetentes sint, nihil esse aliud quam beatitudinem vel felicitatem, hanc

autem in eo positam esse, ut secundum virtutem vivatur [113]), id ipsum, ut persuadeat, etiam nostro loco summo eum studio niti videmus. Politicorum enim totum caput primum in eo versatur, ut quod illo altero loco concluserit, animi bona esse reliquis praeferenda, hoc altero loco probabile faciat, beatitudinem et felicitatem non tam in externis bonis esse quaerendam, quam ab ipsa virtute repetendam. Quae quum satis clara esse videantur, non est, quod in his immoremur, sed statim illum locum adjungere liceat, qui cum eo, quem modo tractavimus, eandem rationem habere videtur. Dicit in *Ethic. Eudem.* II, 1, 1: *Πάντα δὴ τἀγαθὰ ἢ ἐκτὸς ἢ ἐν ψυχῇ καὶ τούτων αἱρετώτατα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ, καθάπερ διαιρούμεθα καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις· φρόνησις γὰρ καὶ ἀρετὴ καὶ ἡδονὴ ἐν ψυχῇ.* In his quod duo tantum genera bonorum nosse videtur, id nos prohibere non debet, quo minus hunc locum respicere credamus ad Magn. Moral. eundem I, 3, 1, de quo modo mentionem fecimus. Quum enim animi bona potiora habeat, quasi sponte reliqua in unum genus coalescunt. Nominatim autem nostro loco prudentiam, virtutem, voluptatem in animo esse dicit, quasi in memoriam revocans lectoribus in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* eandem se animi bonorum divisionem instituisse.

Etsi his jam satis nostram sententiam munitam esse arbitramur, tamen reliquos locos praetermittere nolumus, quorum sunt, qui vix quidquam in ea re dubitationis remanere sinant. Legitur in *Ethicorum Nicomacheorum* libr. VI, 4: *Τοῦ δ᾽ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν ἔστι τι καὶ ποιητὸν καὶ πρακτόν, ἕτερον δ᾽ἐστὶ ποίησις καὶ πρᾶξις. Πιστεύομεν δὲ περὶ αὐτῶν καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις. Ὥστε καὶ ἡ μετὰ λόγου ἕξις πρακτικὴ ἕτερόν ἐστι τῆς μετὰ λόγου ποιητικῆς ἕξεως. Διὸ οὐδὲ περιέχονται ὑπ᾽ ἀλλήλων· οὔτε γὰρ ἡ πρᾶξις ποίησις οὔτε ἡ ποίησις πρᾶξίς ἐστιν.* Quum in *Ethic. Eudem.*

libr. V, c. 4 eadem plane verba repetantur, non opus est ea adscribere, sed data sufficiant.

De his priusquam dicamus, libet apponere ea, quae de eadem re in *Ethic. Magn.*, id est, in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* I, 35, 8 sq. docentur. Sunt haec: *Ἡ μὲν οὖν ἐπιστήμη ἐστὶ περὶ ἐπιστητόν, καὶ τοῦτο μετ᾽ ἀποδείξεως καὶ λόγου διατεινόμενον· ἡ δὲ φρόνησις περὶ τὰ πρακτικά, ἐν οἷς αἵρεσις καὶ φυγὴ καὶ ἐφ᾽ ἡμῖν ἐστὶ πρᾶξαι καὶ μὴ πρᾶξαι. Ἔστι δὲ τῶν ποιουμένων καὶ πραττομένων οὐ ταὐτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικόν· τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐστί τι παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος, οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν, ἐπειδή ἐστι ποιητικὴ οἰκίας, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν. Ὁμοίως ἐπὶ τεκτονικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν ποιητικῶν. Ἐπὶ δὲ τῶν πρακτικῶν οὐκ ἔστιν ἄλλο οὐθὲν τέλος παρ᾽ αὐτὴν τὴν πρᾶξιν, οἷον παρὰ τὸ κιθαρίζειν οὐκ ἔστιν ἄλλο τέλος οὐθέν, ἀλλ᾽ αὐτὸ τοῦτο τέλος, ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ πρᾶξις. Περὶ μὲν οὖν τὴν πρᾶξιν καὶ τὰ πρακτικὰ ἡ φρόνησις, περὶ δὲ τὴν ποίησιν καὶ τὰ ποιητὰ ἡ τέχνη· ἐν γὰρ τοῖς ποιητοῖς μᾶλλον ἢ ἐν τοῖς πρακτοῖς ἐστὶ τὸ τεχνάζειν*[114]. — Censet eorum quae agantur et quae efficiantur, non eandem esse vim et rationem. Nam eorum, quae efficiantur, esse praeter effectionem finem quendam propositum, ut aedificationi, cujus vis sit aedificandi, praeter ipsam actionem propositum sit, quod efficiat, aedificium; in actione nihil nisi actionem ipsam spectari nec praeter eam quidquam quaeri aliud. Qua distinctione quum satis appareat, quae intercedat inter *ποίησιν καὶ πρᾶξιν* differentia, vix credo quemquam esse, nisi qui de quaque re nimis est ad dubitandum proclivis, qui eam isto loco inter *ποίησιν* et *πρᾶξιν* constitutam differentiam Aristotelem respicere neget. Ceterum ne haec quidem inter *ποίησιν καὶ πρᾶξιν* distinctio initio ab Aristotele ipso auctore pro-

114) Eadem fere II, 12, 3.

fecta est. Et *Plato* quidem in *Symposio*[115]) significationem ac vim *ποιήσεως* tamquam notissimam sumit. In memoriam enim ibi Diotima revocat, quae cujusque rei, ut oriatur, quum antea non fuerit, causa sit, esse *ποίησιν*; itaque etiam, quae cujuslibet artis opera sint, et singulis artibus subjecta opificia *ποιήσεις* esse et ea qui efficiant, esse *ποιητάς*[116]). Eodem fere modo in *Sophista* vim *τοῦ ποιεῖν* definit[117]). Et omnino linguae usum observanti hoc inter duas illas voces discrimen esse apparebit, ut *ποιεῖν, ποίησις, ποιητικός*, cet. ibi usurpetur, ubi res aliqua effecta et tamquam in lucem enata vel efficienda et procreanda sit, contra ea *πράττειν* et *πρᾶξις* et *πρακτικὸς* et quae sunt reliqua, nihil nisi ipsam actionem, quatenus actio sit, neglecta quaque re alia, quae inde oriatur, denotet[118]). Quocirca etiam *εὖ ποιεῖν* differt ab *εὖ πράττειν*· alterum enim significat esse rem, quae agatur, quasi extra agentem ab eoque aliquo modo disjunctam: aliquid bene facere, id est, ut bonum rectumve sit vel fiat[119]); alterum, *εὖ πράττειν*, actionem ita designat, ut quasi effectus in subjecto inclusus lateat et minus

115) p. 205. B. 116) Loci citati verba sunt haec: *Οἶσθ᾽ ὅτι ποίησίς ἐστί τι πολύ. ἡ γάρ τοι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ ὂν ἰόντι ὁτῳοῦν αἰτία πᾶσά ἐστι ποίησις, ὥστε καὶ αἱ ὑπὸ πάσαις ταῖς τέχναις ἐργασίαι ποιήσεις εἰσὶ καὶ οἱ τούτων δημιουργοὶ πάντες ποιηταί.* 117) *Sophist.* p. 219, B. *Πᾶν ὅπερ ἂν μὴ πρότερόν τις ὂν ὕστερον εἰς οὐσίαν ἄγῃ, τὸν μὲν ἄγοντα ποιεῖν, τὸ δὲ ἀγόμενον ποιεῖσθαι πού φαμεν.* cfr. ib. p. 265, B: *Ποιητικήν, εἴπερ μεμνήμεθα τὰ κατ᾽ ἀρχὰς λεχθέντα, πᾶσαν ἔφαμεν εἶναι δύναμιν, ἥτις ἂν αἰτία γίγνεται τοῖς μὴ πρότερον οὖσιν ὕστερον γίγνεσθαι.* 118) *Plat. Sophist.* p. 266, C: *θείας ἔργα ποιήσεως*, opera a deo effecta. ibid. *Τί δὲ τὴν ἡμετέραν τέχνην: ἆρ᾽ οὐκ αὐτὴν μὲν οἰκίαν οἰκοδομικῇ φήσομεν ποιεῖν;* — De *πράξεως* vi cfr. *Plat. Gorg.* p. 450, B: *τῆς ῥητορικῆς πᾶσα ἡ πρᾶξις καὶ ἡ κύρωσις διὰ λόγων ἐστί.* 119) *Plat. Phaed.* p. 60 C: *εὖ γε ἐποίησας ἀναμνήσας με* id est: bonam, ut ita dicam, admonitionem in me fecisti.

quae inde res proveniat, quam ipsius subjecti habitus, qui inde oriatur, et affectus respiciantur [120]). Neque vero dubium esse potest, quin haec inter *ποιεῖν* et *πράττειν* differentia a primis jam linguae investigatoribus, quales erant inprimis sophistae, cognita et definita fuerit, ut in hac re Aristotelem philosophantem communi linguae usu ductum esse verisimile sit.

Sed redeamus ad *ἐξωτερικοὺς λόγους*. In *Ethic. Eudem.* libr. I, 8, 1—5 loqui videtur de idea, sed si diligentius rem inspexeris et totius loci sententiam perpenderis, non poteris, quin iterum de summo bono eo loco agi concedas eodem fere modo, quo disceptat bonum in *ἐξωτερικοῖς λόγοις* vel *Ethicis Magnis* I, 1, 11 sq. et, quemadmodum priore loco ideam boni non esse significat, qua summum bonum ad vitam pertinens contineatur, quippe quae, ut reliquae ideae, a rebus separata sit [121]), sic altero loco eadem fere de idea disputantem eamque rejicientem videmus, quod ad constituendum bonum, de quo agatur, id est, quod hominibus bonum sit, adhiberi non possit. Quod ut appareat, adscripsi Ethicorum Magnorum I, 1, 11 sq. haec: *Ὑπὲρ τοῦ πολιτικοῦ ἄρα ἀγαθοῦ ἡμῖν λεκτέον. Πάλιν δὲ καὶ τοῦτο διελεῖν δεῖ· ὑπὲρ ἀγαθοῦ τοῦ πῶς λεγομένου; οὐ γάρ ἐστιν ἁπλοῦν. Λέγεται γὰρ ἀγαθὸν ἢ τὸ ἄριστον ἐν ἑκάστῳ τῶν ὄντων, τοῦτο δ᾽ἐστὶ τὸ διὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν αἱρετόν, ἢ οὗ τἆλλα μετασχόντα ἀγαθά ἐστιν, τοῦτο δ᾽ἐστὶν ἡ ἰδέα τἀγαθοῦ. Πότερον οὖν ὑπὲρ τῆς ἰδέας τἀγαθοῦ δεῖ, ἢ οὔ, ἀλλ᾽ ὡς τὸ κοινὸν ἐν ἅπασιν ὑπάρχον ἀγαθόν; ἕτερον γὰρ τῆς ἰδέας τοῦτο δόξειεν ἂν εἶναι· ἡ μὲν γὰρ ἰδέα χωριστὸν καὶ αὐτὸ καθ᾽ αὑτό, τὸ δὲ κοινὸν ἐν ἅπασιν ὑπάρχει. Οὐκ ἔστι δὲ*

120) *Plat. Alcib. prior* p. 116, B: *ὅστις καλῶς πράττει, οὐχὶ καὶ εὖ πράττει;*

121) Cf. etiam *Ethic. Eud* I, 8, 11: *ὥστ᾽ οὐδὲ δὴ τὸ κοινὸν ἀγαθὸν ταὐτὸ τῇ ἰδέᾳ· πᾶσι γὰρ ὑπάρχει κοινόν.*

ταὐτὸν τῷ χωριστῷ· οὐ γὰρ ἄν ποτε τὸ χωριστὸν καὶ τὸ πεφυκὸς αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ εἶναι ἐν πᾶσιν ὑπάρχοι· et §. 21: *Ἴσως δὲ οὐδὲ δεῖ βουλόμενόν τι δεικνύναι τοῖς μὴ φανεροῖς παραδείγμασι χρῆσθαι, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν τοῖς φανεροῖς καὶ ὑπὲρ τῶν νοητῶν τοῖς αἰσθητοῖς· ταῦτα γὰρ φανερώτερα. Ὅταν οὖν ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ τις ἐγχειρῇ λέγειν, οὐ λεκτέον ἐστὶν ὑπὲρ τῆς ἰδέας. Κτλ·*

Itaque quod pergit *Ethic. Eud.* I, 8, 5: *ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτοῦ* (sc. *τοῦ ἀγαθοῦ* vel *ἀρίστου*) *τρόποις καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις* nihil nisi verum dixit, quoniam in discernendo hominum summo bono fere nimius ibi est. Itaque hic quoque dubitari vix potest, quin ad istum, quem modo vidimus, Ethicorum Magnorum locum provocaverit. Quod autem altero loco [122]) Platonis sententiam de ideis jam multo magis labefactare studuit, ejus rei ea causa esse videtur, quod, quo magis in cogitando progressus erat, eo magis illas improbandas esse se perspexisse credebat, ut omnino, quae sibi quisque semel falsa esse persuasit, ea quacunque data occasione carpere atque impugnare solet. Quod fecit etiam in *Metaphysicorum* libro XII, c. 4 sq. Sed priusquam ibi de ideis disputat, iterum *ἐξωτερικῶν λόγων* mentio facta est (ib. c. 1, 2) his verbis: *ἔπειτα μετὰ ταῦτα χωρὶς περὶ τῶν ἰδεῶν ἁπλῶς καὶ ὅσον νόμου χάριν· τεθρύληται γὰρ τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων.* Sed quum de hac re in iis, quae sequuntur [123]), uberius et fusius disputaturus sit, conjicere e vestigio possumus, quae

122) *Ethic. Eudem.* I, 8.

123) Non tacendum est, dixisse eum quidem de idea in aliis quoque Metaphysicorum libris velut I, c. 6; I, c. 9. et saepius. Sed quum tota Metaphysica parvum vel potius nullum fere inter se habeant continuum rerum tractatarum nexum et magis singularum inter se minus cohaerentium quam perpetuae disputationis speciem praebeant, jure mihi visus sum dixisse, Aristotelem in sequentibus demum de ideis quaesiturum esse.

ab ἐξωτερικοῖς λόγοις pervulgata esse ait, ea multo breviora et arctioribus finibus conclusa fuisse, ita, ut non nisi, quae maxime manifesta essent, proderet. Nam sicut verba οἱ πολλοὶ significant multitudinem, vulgus, plebem, sive etiam homines de plebe, homines vulgaris notae et generis, quum hi quoque prae se ferant mores universae multitudinis, sic haud scio an hic quoque τὰ πολλὰ τεθρύληται significent summam tantum rerum divulgatam, tritissima quaeque, usitatissima et maxime consueta enuntiata esse. Neque enim, quae sunt exquisitioris doctrinae, ea ut divulgentur, multitudinis captui accommodata sunt. Ante omnia igitur cave putes in ἐξωτερικοῖς λόγοις aliorum doctrinam de ideis, inprimis Platonis, jam in omnes partes perpensam esse aut confutatam etiam. Nec vult dicere eam esse levem ac nullius momenti, aut satis jam refutatam, sed maximam partem per ἐξωτερικοὺς λόγους in vulgum elatam esse. Quare ne hic quidem dubitamus, quin significata sint eadem, quae in Magn. Moral. I, c. 1 de idea disputata sunt, de quibus modo diximus. Quae si cui opinione breviora esse videntur, reputandum est fieri potuisse, ut Aristoteles memoriter citaret, nec satis jam teneret, uberius et latius de ea re, an brevius et angustius dixerit; reputandum etiam est, quum ceteri loci conveniant, hunc unum vix excipiendum esse. Nam, qui locus restat ad considerandum in *Politicorum* libro III, 4, 4: *Ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς ἀρχῆς τοὺς λεγομένους τρόπους ῥᾴδιον διελεῖν· καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις· κτλ.*, ubi de variis imperii modis in ἐξωτερικοῖς λόγοις saepe distingui affirmat, quamquam frustra quaesiveris, quonam in Ethicis Magnis referendus sit, tantùm tamen abest, ut dubitationem ullam movere possit, ut ad explicandum nihil facilius esse videatur. Nimirum nihil sunt nisi fragmentum, qualia hodie exstant, Ethica Magna; ex-

trema eorum pars et alia desiderantur et interierunt, quod non difficile est intellectu. Postquam enim in libro II c. 17 eo pervenit, ut quaerendum sit, quomodo utendum sit amico et quaedam in eam quaestionem quasi praefatus, velut de quibus amicis et quali amicitia jam quaerendum sit, dum et ipse in eo est, ut disserat, et nos ut audiamus, subito opus abrumpitur. Reliqua quis est, qui non modo non dubitet, verum etiam non doleat interiisse? Quae quoniam interierunt, interierunt una cum iis illi ipsi loci, quos velut in ἐξωτερικοῖς λόγοις commemoratos nos quaerentes frustra quaerimus. At, dixeris, quî scire potes Aristotelem de variis imperii modis in Magnis Moralibus disputasse? Sane equidem nescio, verum conjecturam facio de satis gravibus argumentis. Quamquam enim de moribus agere statim ab initio dicit sibi propositum esse, tamen passim prodit non minus esse πολιτικήν, quo omnes illae disputationes referendae sint. Quae quum ita sint, non intelligo, quomodo non dico non potuerit, sed non debuerit persequi ea quoque, quae, ut varia dominatus genera, in rebus civilibus haud infimo loco habenda sunt. Videntur autem hujus tractatus quae interierunt, eandem rationem habuisse ad eam partem, quae adhuc ejus exstat, quam habent Politica ad Ethica Nicomachea, quibus subjuncta esse illa jure existimari possunt. Neque enim rectus est ordo is, ex quo hi Ethicorum Magnorum libri deinceps post Ethica Nicomachea tanquam suo loco hodie in editionibus collocari solent, sed antecessisse iis putandi sunt, et quod opus Aristoteles in extremis Ethicis Nicomacheis de omni reipublicae forma se suscepturum esse affirmat, nihil potest esse aliud, nisi illi octo libri Politicorum adhuc superstites, quaeque alia cum iis cohaerebant. Minime autem mihi convenit cum *Ramsauero*, viro doctissimo, qui quamquam egregie nuper

quaedam disputavit de Magnis Moralibus [124]), in hac tamen re minus recte judicavit. Neque enim sunt, quae est sententia Ramsaueri, Magna Moralia secundum Aristotelis placita ex Ethicis Nicomacheis et Eudemiis paullo liberius confecta, sed iis priora sunt et peculiari disserendi forma descriptionem quandam habent earum rerum, quas mox Aristoteles copiosius disputando persequens multa multis locis mutavit, convertit, correxit, retractavit et refecit ita, ut admodum inter se dissimilia ista opera esse videantur, quod quia nescio qua temere concepta opinione motus Ramsauerus videre quasi noluit, in errores se delabi passus est. Qui enim fieri potuisset, ut, qui tali erat instructus artis syllogisticae usu, qualem vir doctissimus scriptori Magnorum Moralium concedere non dubitat, is tamen multa deformaret, detorqueret, obscuraret, corrumperet, modo in breve cogeret, tum dilataret, novaret, si ei praesto fuissent tamquam norma quaedam, qua disputationem suam dirigeret, Ethica Nicomachea et Eudemia? Quae omnia, nostram sententiam si sequi volueris, satis facilem explicationem invenire poterunt. Sed redeat oratio, unde degressa est. Quemadmodum igitur Aristoteles disserit in Politicis de variis imperandi generibus, eodem modo credibile est eum disputasse de rebus iisdem in Ethicis Magnis, et satis probabili conjectura

---

124) In dissertatione programmatis gymnasii Oldenburgensis, quae inscribitur: *Zur Charakteristik der aristotelischen Magna Moralia.* Oldenburgi, 1858. Quam dissertationem valde doleo tum demum in manus meas venisse, quum nostra maxima ex parte paene confecta erat. Sed tantum abest, ut ullam causam repererim sententiam meam mutandi, ut eam Ramsaueri disputatione magis etiam adjuvari confirmarique credam. Adeo enim multa indagavit vir doctissimus Magnorum Moralium propria et a consueta Aristotelis disserendi ratione diversa, ut sane mirere, quomodo non animadverterit, aliud in Magnis Moralibus philosopho disputandi consilium propositum fuisse.

assequi possumus, hunc quoque locum de variis dominandi modis [125]), de quo quaeritur, in Ethicis Magnis explicatum fuisse.

Jam igitur, si qui loci in aliquo libro inesse dicuntur, iidem si in aliquo revera apparent et leguntur, aut omnes aut certe plerique, num id temere aut fortuito cecidisse credamus, an ita statuamas, illum librum, in quo sunt, esse eundem ipsum, quem scriptor significaverit? Quod alterum si verius est, haud equidem viderim, quid nos vetet pro certo affirmare, Ethica illa Magna quae feruntur, esse nihil aliud, quam Aristotelis *ἐξωτερικοὺς λόγους* vel potius eorum fragmentum aliquod. Et sic de iis judicantes non libet jam amplius in eos inquirere et missos faciamus, si hoc unum adjunxero, quod facile ex iis, quae disputavimus, sequi concesseris, Aristotelis Magnis Moralibus vel potius *ἐξωτερικοῖς λόγοις* non multum ad cognoscendam ejus philosophiae rationem tribuendum esse. Quis enim prima editione, ut in hac re ita dicam, uti velit, secunda vel tertia si prostat venalis multis rebus auctior et correctior?

Restat, ut videamus de Aristotelis dialogis, utrum in iis ex sua ipse persona disseruerit, an sermonis expers Platonem imitans alios colloquentes induxerit; quae res quia alicujus est momenti ad recte existimandum de Ciceronis dialogis, age jam de ea videamus.

Quod quidem ad hanc quaestionem attinet, veteres Aristotelis interpretes quid de ea re senserint, satis declarasse videntur. Nam uno fere ore ejus *αὐτοπρόσωπα διαλογικοῖς* ex adverso ponunt [126]), et *Ammonius Hermeae*, ubi *τὰ συνταγματικὰ* in duas partes dividit,

---

125) *Politic.* III, 4, 4.

126) *Simplicius* in *Categ.* p. 1. B. (ed. Basil.); *David* in *Categ.* p. 24, A, 18 sqq. (Brandis). *Philoponus* in *Categ.* p. 35, B, 10 sqq. (Brandis).

quarum altera contineat *τὰ αὐτοπρόσωπα*, altera *διαλογικά*, de dialogicis ipsis verbis addit, Aristotelem ea non ex sua persona scripsisse, sed ut Platonem, aliorum personas colloquentes finxisse [127]). Accedunt alia atque haud scio an graviora etiam argumenta. Dicaearchus enim, Aristo Ceus, alii, qui ex Aristotelis schola profecti sunt quique vix dubitare licet, quin magistri exempla secuti sint, in dialogis suis fabulosos homines colloquentes induxerunt [128]), inter quos ipsis quidem partes sermonis esse non poterant. Certe, si ex his conjicere licet, Aristoteles quoque, quos scripsit dialogos, in iis partes colloquii a se removisse putandus est, id quod statuunt hodie inter viros doctos ii, qui in hanc rem quam diligentissime inquirere conati sunt, ut *Krischius* [129]) et, quem modo nominavimus, *Prellerus*. Nam *ἐξωτερικοὶ λόγοι*, quorum esse fragmentum aliquod Magna Moralia demonstravimus, quamvis speciem quandam prae se ferant dialogorum, vix tamen erunt, qui serio eos nomine dialogorum insigniendos esse contendere velint.

Sed revera haec fere sunt, quae de Aristotelis dialogis scire possimus. Nam quod *Basilius Magnus* eruditus ecclesiae doctor in epistola quadam tradit [130]), Aristotelem et Theophrastum in dialogis suis statim res ipsas esse aggressos, quod sibi conscii fuissent, quanto inferiores essent Platone sermonis suavitate, vix sunt ejusmodi, ex quibus multa de Aristoteles dialogorum natura concludere possis et fortasse id tantum, Aristotelis et Theophrasti dialogos dulcedine sermonis minime cum Platone comparari potuisse. Atque ipsa illa fragmenta, quae nobis ex ejus dialogis servata sunt, unum a *Plutarcho* in Consolatione ad Apollonium [131]), alterum apud *Stobaeum* [132]), quod tamen dubiae auctoritatis quibusdam viris doctis esse videtur [133]), breviora sunt, quam ut vividam inde et perfecte expressam ejus dialogorum imaginem animo concipere possis.

Quod autem sunt [134]), qui ex Ciceronis dialogis de forma illorum, quos Aristoteles scripserit, — qui quidem perierunt — judicari posse credunt, haud scio an in aliquo ii errore versentur. Quod non solum contendi, sed etiam demonstrari posse videtur. Ubi enim Cicero de perpetua, quae dicitur, oratione loquitur, quam maxime propriam Aristotelis dialogorum

---

127) *Ammon. Herm.* ad *Categ.* p. 6, B: *Συνταγματικὰ δὲ λέγουσιν, ὅσα καὶ φράσιν ἔχει πρέπουσαν συντάγματι καὶ τὴν τῶν κεφαλαίων εὔτακτον διαίρεσιν· τῶν δὲ συνταγμάτ(ικ)ῶν τὰ μὲν διαλογικὰ, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα· αὐτοπρόσωπα μὲν ἐν οἷς ἐξ οἰκείου προσώπου τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο, ἅπερ καὶ ἀκροαματικὰ καλοῦσιν διὰ τὸ πρὸς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον· διαλογικὰ δὲ* (scil. *ἐστί*), *ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα, κτλ.*

128) *Cic. Tusc. Disp.* I, 10, 21 etc. 31, 77. *Cat. Maj.* 1, 3. *Preller*, de *Praxiphane Peripatetico* inter antiquissimos grammaticos nobili disputatio. (Index scholarum in universitate litteraria Caesarea Dorpatensi per semestre prius anni 1842 habendarum).

129) *Forschungen* etc. I, p. 14 sqq.

130) 167. Tom. opp. III p. 187 C: *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλάτων δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται, ὁμοῦ δὲ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόσωπα· κτλ.*

131) Volum. VII, p. 351 sq. *(Hutten)*

132) *Sermon.* 86.

133) *Wyttenbach* apud Phil. Guil. van *Heusde* specim. crit. in Plat. p. XLVIII. — *Ritter* Gesch. d. Philos. III. p. 28.

134) in his *Joh. Bakius*, Batavus, in „Scholica hypomnemata“ Vol. II p. 23 sqq. „Omnino praecipuus in hac quaestione auctor nobis relinquitur simulque exemplum Cicero, qui manifesto non Socraticum dialogum aemulatur, sed illum, quem brevitatis causa Aristotelici dialogi appellatione significandum putavi. *cet.*“

fuisse ex Ciceronis dialogis conjicere conantur, ita de ea exponit, ut eam improbare magis quam commendare videatur. In singulis enim rebus insistendi magis morem et intelligendi, quid quisque concedat, qualis erat consuetudo Platonis, comprobat, quam perpetua oratione quasi torrentis instar quamvis multa cujuscemodi secum rapere. Hic autem insistendi et rapidam orationem coercendi mos erat Socratis et Platonis, qui mos cum a posterioribus non esset retentus, revocatus est ab Arcesila illo, recentioris academiae parente [135]. Qua consuetudine renovata ii, qui audire vellent, non quaerebant, sed ipsi dicebant, quid sentirent, quod quum fecissent, Arcesilas contra disputare solebat. Sed qui audiebant, quod poterant, defendebant sententiam suam [136]. Quum igitur Cicero in libris de Finibus se non tamquam philosophum scholam aliquam explicaturum affirmet, more Arcesilae, id est, Socratis vel Platonis disserere voluisse existimandus erit. Jam habes, credo, Ciceronem multo magis dialogi Platonis quam Aristotelis imitatorem. Accedit, quod ubi scholas ipsas habiturus est et perpetua oratione dicturus, ibi quoque quavis occasione arrepta brevibus interrogationibus colloquentem redarguens ac refellens, Platonem imitari studet [137]. Quid? qui et quum esset adolescens et aetate jam provectus, numquam desiit non solum legere Platonem, sed etiam quosdam ejus dialogos in latinam linguam convertere [138], num censes

135) *Cic. Nat. Deor.* I, 5, 11. 136) *De Fin.* II, 1. 137) *Tusc. Disp.* I c. 5—9. collato ib. §. 7 et 8. *De Republ.* I cc. 37, 38, 39. 138) Ut *Protagoram et Timaeum*, quorum illum a Cicerone *juvene* in linguam Latinam conversum esse propterea putaveris, quod Xenophontis Oeconomicum ipse a se adolescente in Latinum esse translatum scribit de *Offic.* II, 24, 87. Alterum Timaeum aetate progressus interpretatus est, sine dubio eo consilio, ut in omnes partes philosophandi studio satisfaceret. cf. de *Divinat.* II, 2 initio.

ullo pacto fieri potuisse, ut is Aristotelis quam Platonis dialogos sibi imitandos sumere mallet? Ut enim concedendum sit, Ciceronem Platonis elegantiam, venustatem, suavitatem ejusque artem et subtilitatem in componendis dialogis consecutum non esse, tamen, opinor, acerrimum Ciceronis studium Platonis imitandi ubique perillustre est cernique potest [139]. Sicut autem Aristotelem in philosophia non deterruit a scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit [140], sic Ciceronem, si omnino de imitatione cogitandum est, optimum quemque in quaque re scriptorem et arte praestantissimum, rejecto quoque, qui minus excellens haberetur, imitandum sibi maxime elegisse consentaneum est. Apparet id quum ex ipsius Ciceronis scriptis [141], tum multo magis etiam ex veneratione quadam et laudibus, quibus nusquam non Platonis auctoritatem et praestantiam prosecutus est [142].

Nec vero diversitas quaedam, quae inter Platonis dialogos et Ciceronis intercedit, impedire nos debet, quominus judicemus Ciceronem a Platonis imitatione recessisse. Et quoniam jure suus esse quam Platonis

139) Cf. *Cic.* de *Legib.* I, 5, 15; II, 6, 14; II, 27, 69; III, 1, 1, de *Orat.* I, 7, 28; ad *Attic.* IV, 16, 3. 140) *Cic. Orator.* §. 5. 141) Ut ex multis unum tantum hoc commemoremus, quis non videt extremam partem librorum de Republica, quae somnium Scipionis continet, prorsus ad Platonis similitudinem fictam atque appositam esse? 142) Cf. *Tusc. Disp.* I, 17, 39: Errare mehercule malo *cum Platone*, quem tu quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire. *Ibid*, I, 10, 22: Aristoteles longe omnibus — *Platonem* semper excipio — praestans et ingenio et diligentia. *Ibid.* I, 21, 49; de *Fin.* V, c. 3: quorum princeps Aristoteles, quem excepto *Platone* haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad *Attic.* IV, 16, 3: deus ille noster *Plato. De Nat. Deor.* II, 12, 32; *Orator*, 19, 62; *Brutus*, 31, 121.

malebat[143]), quis tandem ex hoc judicabit, eum Aristotelis imitatorem fieri voluisse? Sunt autem revera Platonis ipsius dialogi et externa sermonis forma et interna rerum tractatione et indole ita inter se dissimiles, ut vix credas ab uno eodemque scriptore eos esse confectos. Conferantur v. c. inter se ***Euthyphro, Symposium, Phaedo.*** In primo tenue quoddam et exile colloquendi genus, quo interrogando, quid Euthyphroni **περὶ ὁσίου** videatur, elicere Socrates studet ita, ut ipse nihil certi affirmet et ea tantum, quae minus probabilia ab Euthyphrone quasi ex vulgi persona disputantur, refutet interque se repugnare ostendat. Quam longe aliter se res habet in ***Symposio***, in quo praemissa narratione ipsius colloquii originis et causae perpetuae inter colloquentes orationes habentur, ordine quodam dicendi inter colloquii participes servato, donec postremo post Alcibiadis orationem, quae in collaudando Socrate copiosa est, totum colloquium comissatoribus irrumpentibus tollitur. In ***Phaedone*** aliam rursus rationem sermonis cognoscere licet, in quo audimus Socratem disserentem de animorum immortalitate, ita tamen, ut non raro interpellatum eum videamus dubitationibus et interrogationibus Pythagoreorum quorundam, quibus solvendis tollendisque Socrates omnes animi vires contendere gravissimaque rei ipsius argumenta adhibere et expromere cogitur. In ***Menexeno*** post breve initium Socrates funebrem aliquam orationem habet, quam dixit se ex ore Aspasiae audivisse, qua Atheniensium illustria facta persequitur. In ***Timaeo*** nihil fere dialogi, sed perpetua oratio. In ***Legibus*** ne Socrates quidem partes dialogi habet, nihilo tamen minus, opinor, et Menexenum et Timaeum et Leges in numero dialogorum Platonis referre debemus.

143) *De Leg.* II, 7, 17.

Videmus satis usquequaque dilatatis Platonici dialogi finibus Ciceroni, quo se cunque verteret, ad arbitrium suum in ea re exspatiari licuisse. Qua libertate et ipsum usum esse negari non potest. Quum enim philosophiam suis civibus explicandam putaret[144]), non commodius id institui posse arbitrabatur, quam si viros auctoritate et ingenio praestantes, qui saepe de iisdem rebus non eadem sentiebant, per dialogum colloquentes inter se et repugnantes alterum alteri aut breviter aut longioribus orationibus disserentes de aliqua re magna in scriptis suis induceret, ita maxime, ut tota aliqua philosophiae quaestio ab uno aliquo excellenti viro aut pertractaretur, aut contra aliorum sententias muniretur. Atque hanc colloquendi rationem eo libentius amplexus est, quo magis isto modo philosophia cum eloquentia jungi poterat. Quod si igitur fere ne sic quidem Aristotelem imitatus est nec imitari poterat, quum eum ejusmodi dialogos, in quibus diversarum philosophiae disciplinarum sectatores inter se disputantes induceret, scripsisse vix credibile sit, apparet de Aristotelis dialogis ne ex Cicerone quidem satis certe judicari posse.

Jam autem difficillima quaestio oritur, quomodo ***Aristotelius*** ille ***mos***, ad quem jam transeamus, intelligendus sit, quo Cicero se libros de Finibus scripsisse affirmat[145]).

Nam fac eum morem eo contineri, quod scriptor se in illis libris ex sua persona disserere significet, non solum testimonia veterum Aristotelis interpretum et alia argumenta, qualia supra indicavimus[146]), quo

144) De ***Nat. Deor.*** I, c. 4, et saepius. 145) ***Ad Attic.*** XIII, 19, 4: Quae autem his temporibus scripsi, ***Ἀριστοτέλειον morem*** habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. 146) p. 48 annot. 127 und 128.

minus ita statuamus, obstant, ex quibus Aristotelem in suis dialogis non ex sua persona disputasse collegeris, ut iste mos Aristotelis fuisse non possit, — obstat etiam ille locus Ciceronis ad *Fam.* I, 9, 23[147]), quo se libros de Oratore Aristotelio more scripsisse dicit, in quibus Cicero plane sermonis expers est. Et quis non videt re vera alterum locum alteri repugnare? Quae quum ita sint, non potuit fieri, quin de ea re diversae inter se virorum doctorum opiniones ortae sint, ex quibus quae mihi innotuerunt, de iis jam breviter dicam.

Wyttenbachius, vir doctissimus, qua fuit sagacitate et acumine ingenii, recte vidit aliquid discriminis inter duos istos locos intercedere et alterum alteri repugnare. »Aristoteleo more in disputatione ac dialogo significat, inquit[148]), ipsam disserendi ac dialogi formam, cujus formae certe ea pars Ciceroni cum Aristotele communis est, quod scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: veluti Cicero in libris de Oratore Crassum, Antonium, Catulum, Caesarem disserentes facit; atque item Aristotelem factitasse ex illis Ammonii verbis colligi debet: — ***διαλογικὰ δὲ ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.*** — Nam et Plato nusquam in suis ipse libris suo nomine loquitur. Altero loco contrarium videtur asserere Cicero ad *Attic.* XIII, 19 quasi libros de finibus more

147) Verba Ciceronis sunt: Scripsi igitur *Aristotelio more*, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis, atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur.

148) In Phil. Guil. van *Heusde* specim. critico in Platonem, accedit *Wyttenbachii* epistola ad auctorem. Epistola p. L.

Aristoteleo scriptos affirmet, eos de oratore contra.« Postremo ita rem expedire conatur, ut locus posterior velut in corruptissimo Ciceronis scriptorum opere occurrens priori loco ut operis multo magis emendati cedere debeat, aliisque satis accommodatam loco emendationem excogitandam, quam ne difficilem quidem esse contendit, reliquit. Istud quidem tenet, in ista duorum locorum repugnantia auctoritatem prioris graviorem esse reputandam. »In reliquis«, inquit, »***ἐπέχομεν***«. At de lectione immutanda vix ullum sibi consentientem Wyttenbachius habebit.

Jam veniat *Goerenzius*, [149]) quem quomodo potuerit *Krischius* [150]) contendere per rectam verborum explicationem, scilicet »in disputatione ac dialogo« pro »disputandi per dialogum ratione« esse accipiendum, istam locorum repugnantiam removisse, prorsus non intelligo. Ac sane quidem in utroque loco per dialogum disputatur, at ipsum illum Aristotelium morem, si diligentius rem inspexeris, non minus in utroque loco diversum esse senties. Luce clarius est enim, quem Cicero in libris de Finibus Aristotelium morem esse dicat, scilicet ut penes ipsum (Aristotelem hoc est, dialogi scriptorem) principatus sit, eum in libris de Oratore aliter esse comparatum. Nam in libris de Finibus Cicero se ipsum disputantem ac principatum tenentem facit, et hunc esse significat Aristotelium morem, quod secus est in libris de Oratore, in quibus ne ullam quidem sermonis partem sibi sumserit. Nec me fugit Krischii ejus difficultatis explicandae ratio, dicit enim dialogi auctori sub alienis personis principatum obtineri[151]). Sed nescio an sic omnibus de

149) ***Introductio*** ad libr. de ***Fin.*** p. XVI.

150) Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie. Tom. I p. 13 annot. 1.

151) L. c. p. 17.

dialogis qui umquam scripti sunt, tenendum sit, semper auctores, quamcunque rem per dialogi disputationem tractent, etsi nullae sermonis ipsorum sunt partes, ita tamen disputare, ut sub aliqua dialogi persona ipsorum sententia lateat. Recte autem vir doctissimus Goerenzii opinionem, arbitrantis, ex Ammonii traditione, quam saepius jam diximus: ***διαλογικὰ δὲ ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν (Ἀρ.) ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα***[152]) istam difficultatem solvi posse, plane rejiciendam censet. Goerenzius enim ex verbis: ***ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν,*** colligi posse credit, Aristotelem utriusque generis dialogos scripsisse, alteros, in quibus ***κωφὸν*** ejus ***πρόσωπον*** esset, alteros, in quibus ipse partes sermonis susciperet. Falso. Nam vir doctus non vidit verbis ***διαλογικὰ δὲ*** contineri praedicatum totius sequentis enuntiati ita, ut verba: ***διαλογικὰ δέ,*** hoc sensu accipienda sint: ***διαλογικὰ δ'ἐστὶν ὅσα μὴ κτλ.,*** dialogica autem sunt omnia scripta, quae non ex sua persona scripsit.

Sed pone rem ita esse, ut Goerenzius velit, ne tum quidem omnis molestia depulsa est. Nam si duo etiam Aristotelis dialogorum genera statuimus, quorum ea sola sit differentia, ut in altero Aristoteles ex alia persona placita sua et sententias proponat, in altero ipse ex sua persona, quid sibi videatur, disputet, ut altera ex parte haud sane diffitendum est, posse aliquo sic modo rem expediri — tum enim libri de Oratore ad id dialogorum genus, in quo sub alienis personis ipsius scriptoris sententia lateat, libri de Finibus ad id, in quo Cicero ex sua ipse persona loquatur, referendi sunt, — at quis tandem est, quaeso, quin cernat, haec duo Aristotelii moris genera, quatenus apparent in Ciceronis dialogis, prorsus inter se esse diversa et contraria eamque ob causam minime esse verba ***»Aristotelio more«*** apta ad accurate describendos de Oratore libros minimeque idonea, ex quibus quomodo vel ipsi libri vel eorum sive forma sive ratio et indoles cogitanda sint, Lentulus[153]) conjicere satis possit. Nihil enim umquam describi designarique satis accurate potest re aliqua, quae in sui ipsius contrarium abire potest.

---
152) P. 48 annot. 127.

Quod autem ad Krischium ipsum attinet, tantum mihi abesse videtur, ut rem ad liquidum perduxerit, ut ne sensisse quidem videatur, in qua re summa de Aristotelio more quaestio posita sit. An hoc consulto sentire noluit? Ac sane in hac re multo inferior est, quem reprehendit, Goerenzio. Ex parvis quibusdam fragmentis perspexisse sibi videtur, quae fuerit Aristotelis dialogorum ratio, quod dubito, num umquam fieri possit. Putat manifestum esse, Aristotelem (in dialogis suis?) respectis et rejectis aliorum philosophorum disciplinis suam firmare studuisse et quum (ut statuere videtur) Aristoteles non ex sua persona loqueretur, sub alienis personis penes ipsum principatum fuisse. Item breves interrogationes, quibus utendi Platonis vel Socratis mos erat, esse ab Aristotele rejectas arbitratur inque locum earum substitutas continuas orationes. Has potissimum ab eo recepisse Ciceronem, et hanc esse naturam Aristotelii moris apud Ciceronem, ut colloquentes non ut discipulos interroget aut interrogando ex iis quae velit, eliciat, sed unicuique omnia disciplinae alicujus placita peroranda tribuat ita, ut examinatis cujusque scholae decretis is, cujus sub persona sententia scriptoris lateat, principatum teneat. »Nur stellt sich« ita enim pergit, »dabei der

---
153) Ad *Fam.* I, 9, 23.

nothwendige Unterschied heraus, dass während Aristoteles als selbständiger Denker lehrend auftritt, Cicero durch Anlegung eines fremden Princips sich selbst erst festsetzt und zu lernen sucht (?)[154]«. Quae sequuntur, nihil ad rem. Sed dic, quaeso, quomodo harum rerum cum iis, quae de Aristotelio more Cicero in Epistola ad *Atticum*[155]) tradit, consensus rationum concentusque effici possit, quo loco Cicero satis perspicue indicat, se noluisse dialogum, de quo agitur, ita instituere, ut sibi tacendum esset, nec si particeps sermonis ipse Cicero erat, ut revera in libris de Finibus est, ulla causa erat, cur suam sententiam alienis personis tuendam traderet, penes quas ipsius principatus esset. Quum autem in libris de Finibus ex Aristotelio more ipse loquatur, in libris de Oratore contra, quos et ipsos Aristotelio more a se scriptos esse dicit[156]), quaesiveris, quomodo Krischius alterius cum altero loco repugnantiam sustulerit? — At minime sustulit, reliquit, dixit aliena, ipsam rem non tetigit. Nam quod dicit[157]), Ciceronem jam antea in libris suis de Oratore confectis Aristotelium se morem secutum esse significasse, ita tamen ut in universum nihil nisi dialogum vel potius dialogi formam ab Aristotele se mutuatum indicaverit, Aristotelii moris, quae vera sit ratio, accuratius demum declarari in Epistola ad Atticum[158]), ea minime erunt ejusmodi, in quibus acquiescas, si ea, quae modo de tota hujus quaestionis difficultate diximus, respicere volueris. Atque revera eodem fere modo jam ante Krischium *Stahrius* totius quaestionis nodum solvere studuerat. Nam ut de Stahrii quoque sententia videamus, rei ipsius gravitate admonemur.

---

154) L. c. pp. 12 sqq. et p. 18. 155) XIII, 19, 4. 156) Ad *Fam.* I, 9, 23. 157) L. c. p. 13. 158) XIII, 19, 4.

Stahrius igitur totam istorum locorum repugnantiam, de qua Wyttenbachium jam audivimus, removeri arbitratur[159]), si reputemus Ciceronem priore loco[159a]) eam ob causam libros suos de Oratore Aristotelio more scriptos esse significasse, quod in dialogo ac disputatione scripti sint, quod *ἓν διὰ δυοῖν* admodum esse usitatum et accipiendum in hanc sententiam »disputandi per dialogum ratione«, laudato Goerenzio auctore ad Cic. de Fin. Introduct. p. XVI. Altero loco[160]) non agi in universum de dialogica forma, quatenus Aristoteles ea in scriptis suis usa sit, sed certum quoddam ejus formae genus definiri accuratius additis verbis: penes ipsum Aristotelem principatum esse. Et quatenus Cicero in libris de Finibus istam quoque Aristotelis consuetudinem imitatus sit, quum in libris de Oratore forma quidem *(disputandi per dialogum ratio)* Aristotelia, ipsa autem scriptoris persona *κωφὸν πρόσωπον* fuerit, Ciceroni licuisse libros de Finibus praecipue Aristotelio more scriptos esse significare, nec in eo dixisse quod verbis ad Lentulum scriptis repugnet, collato Goerenzio l. c. XVI, XVII. In annotatione addit, posse etiam aliam Ciceronis verbis ad Attic. l. c. ***Ἀριστοτέλειον morem — in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus***, sententiam tribui, ex qua ratio Aristotelis aliorum sententias indicandi et suae ipsius subjiciendi significata sit.

Scripti igitur sunt, quantum equidem ex his intelligere possim, Aristotelio more Ciceronis de Oratore libri illi quidem, sed perfecto demum Aristotelio more compositi libri de Finibus, quod, quae Aristotelis in dialogis scribendis ratio fuerit, ut videlicet penes

---

159) *Aristotelia*, pars II, p. 244—246. 159a) *Ad Fam.* I, 9, 23. 160) *ad Attic.* XIII, 19.

ipsum scriptorem principatus sit, ea denique a Cicerone in libris de Finibus sit observata. Jam vero si, id quod ex l. c. ad Attic. XIII, 19 apparet, is mos Aristotelius ipsis verbis in conscribendis dialogis fuisse dicitur, ut auctor dialogi ipse partes colloquii summas habeat, hoc est, ipse loquens et ex sua persona disputans inducatur, et ceterorum sententias redarguens, eâdem sententiâ sine dubio Aristotelius mos non potest accipi, si in dialogis omnino ne loquens quidem ipsius auctoris persona inducitur, planeque, ut in libris de Oratore, ***κωφὸν πρόσωπον*** est. ***Ὅσα γὰρ θατέρῳ συμβέβηκε, καὶ θατέρῳ δεῖ συμβεβηκέναι, καὶ οἷς θάτερον αὐτῶν συμβέβηκε, καὶ θάτερον δεῖ συμβεβηκέναι. Εἰ δέ τι τούτων διαφωνεῖ, δῆλον ὅτι οὐ ταῦτα*** [161]). Quare omnino ad istam locorum duorum repugnantiam, quam jam Wyttenbachius sibi visus est animadvertisse, redire cogimur. Itaque non mirum est alios alias istius superandae difficultatis rationes ac vias ingressos esse.

Chr. G. Koenigius, qui de eadem re egit in dissertatione, quae inscribitur: ***super Ciceronis de Oratore libris*** [162]), ita inter se differre duos istos locos censet, ut alter ille, qui in Epistola ad Fam. I, 9, 23 commemoretur, ***ad interiorem rerum ipsarum, quae tradantur, indolem*** sit referendus, de altero ad Attic. XIII, 19, 4, vix dubitari posse putat, quin ***externam maxime disserendi formam et orationis veluti habitum*** voluerit intelligi Cicero similem ei, quo Aristoteles in conformandis dialogis et suis cuique illorum, quos colloquentes fecisset, partibus tribuendis fuisset usus. Et sane digna est viri acuti sententia, quae audiatur, etsi, nescio quomodo, quod attinet ad priorem illum locum, minus mihi arridet istius loci explicandae difficultatis

---

161) ***Aristot. Top.*** VII, 1, 7. 162) In opusculis latinis, editis ab ***Oertel, Misenae*** 1834 p. 376 sq.

a viro docto inita ratio. Quamquam enim haud dubie concedendum est, Ciceronem multa ex ipsius Aristotelis scriptis sibi assumpsisse [163]) in hosque de Oratore libros derivasse, tamen usus ipse linguae obstare mihi videtur, quo minus locum ita intelligamus, ut quod vult efficere Koenigius, consequi possimus. Dicit enim Cicero ***Aristotelio more in disputatione ac dialogo*** libros de Oratore a se elaboratos esse, hoc est, eo more, quem Aristotelis in disputando fuisse crediderit. Videtur autem ea causa vir doctus, ut ita statueret, permotus esse, quod Cicero ipse in Epistola illa ad Lentulum, quam saepius jam commemoravimus, in his de Oratore libris omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam se complexum esse profiteatur; nam censet »Aristotelio more scribere et omnem Aristoteliam rationem oratoriam complecti nihil quidquam discrepare«. Quod plane secus esse videtur. Nam quod Cicero se omnem ait antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complexum esse, nihil vult fere aliud significare, nisi, quibus isti et Aristoteles et Isocrates et omnes veteres doctores dicendique magistri finibus artem oratoriam veluti terminis circumscripserint quemque ei latissimum campum, in quo exerceri debeat, tribuerint, rectissime eum illi arti concedendum videri seque eos in ea re secutum esse. Et potest id facile intelligi. Nam fuisse jam Ciceronis temporibus et antea, qui angustioribus finibus artem oratoriam includerent, ex multis librorum de Oratore locis perspici potest. Quid enim Crassum, cujus ex ore sine dubio Cicero ipse loquitur, censes spectare talibus dictis velut his: Oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus re-

---

163) Ciceroni praeter alia Aristotelis scripta etiam ejus *rhetorica* non incognita fuisse docet ***Stahrius Aristotelia*** II, p. 152 sq.

bus possit varie copioseque dicere [164]. — Nam illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus semperque esse in omni orationis ratione versatos [165]. — Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani atque hujus ambulationis antemeridianae aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate [166]. — Jam etiam adversarios Crassi oratoriaeque artis tam in immensum dilatandae obtrectatores audiamus, quorum ex ore cognoscimus istius temporis vulgarium oratorum de arte oratoria sententias, quas defendendas Antonius suscepit, qui inter alia de oratore haec: Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus, qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine; atque eum puto esse, qui verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem eumque esse praeterea instructum voce et actione et lepore quodam volo [167]. Cernimus Crassum oratori velle detur immensum quoddam spatium et campus latissimus, in quo elaborare debeat, ut quocunque opus sit, cum varietate et copia traducere orationem possit. In quo persequendo ita est ipse copiosus, ut nonnum-

164) De *Orator*. I, 13, 59. 165) *Ibid.* III, 32, 126, quod quamquam dixit Catulus, tamen facile ex sententia Crassi dictum esse agnoveris. 166) *Ibid.* III, 30, 121: cf. ibid. III, 33, 132 et quae sequuntur. 167) *Ibid.* I, 49, 213: cf. ibid. quae sequuntur, tota enim Antonii oratio in eo versatur, ut eloquentiam a ceteris artibus segreget et in quodam ingenii et exercitationis genere ponat.

quam revocandum eum auditores arctioresque ei quasi terminos, intra quos se contineat, constituendos esse existiment [168].

Atque haec est, quam Cicero dicit omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complecti. Aristotelem vero plane eosdem, quos Ciceronem, oratori assignavisse fines quam longissime prolatos quum ipsis verbis ab eo dici audimus [169], tum ex totius ejus de arte rhetorica operis indole et ratione intelligi licet. Qua enim subtilitate et diligentia loquitur de moribus, affectibus, studiis non solum adolescentium, juvenum, senum, verum etiam nobilium, divitum, potentium, fortunatorum, de misericordia, de indignatione, de invidia, ceteris! in quibus rebus Cicero plane Aristotelis rationem sequitur [170] nec ignoras, quantum isti veteres philosophi, inprimis Aristoteles, arti oratoriae tribuerint, quod Crassum loquentem facit his verbis [171]: Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit a me. Nam ego, quae sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant. Etenim quum illi in dicendo inciderint loci (quod persaepe evenit), ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium jure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi,

168) *Ibid.* III, 32, 126; et maxime ibid. III, 36, 144 sq. 169) *Rhetor.* I, c. 2: *ἡ δὲ Ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν· διὸ καί φαμεν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν.* 170) *de Orator.* I, 15, 69, ubi Crassus haec: quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus. 171) *Ibid.* I, 13, 55. sq.

de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae sua haec esse omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus in angulis consumendi otii causa disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et jucunditate explicet.

Quod ad ceteram Ciceronis librorum de Oratore similitudinem cum Aristotelis rhetoricis attinet, fortasse nullam investigaris. Diversissimi prorsus sunt quum natura et indole, tum multo etiam magis ratione scribendi et tota hujus materiae pertractatione et explicatione. Aristotelis summum est ingenii acumen, subtilitas, diligentia, quibus accedit siccitas quaedam dicendi et tenuitas, nuda ejus oratio est, recta et pressa, »omni ornatu tamquam veste detracto«. Cum distinctione et parsimonia quadam opus suum tamquam aedificium exstruit, in quo suo quaeque res loco collocetur ita, ut magis commoditas et interior rei ipsius figura et habitus, quam externae illae distinctiones ornamenti causa adhibitae respiciantur; perfectum philosophum et subtiliter disserentem Aristotelem in isto opere usquequaque agnoveris. Quae res longe aliter se habet apud Ciceronem. Quod enim quasi aedificium ex varia materia ad id exstruendum commoda Aristoteles condidit, eo cum sociis suis Cicero iter quoddam ut hac imagine utar, ambulationis instar suscipit, quo illud ab Aristotele exstructum artis oratoriae aedificium suis sodalibus, discrepantibus inter se sententiis inspiciendum et quasi oculis collustrandum ostendat. Ut autem Aristoteles hoc suum aedificium tamquam domicilium artis oratoriae ac sedem, unde omnia ejus praecepta petenda sint, quam firmissimum et latissimis circumscriptum finibus exstruxit, ita Cicero id ingre-

ditur, eximio instructus artis suae et ornatu et copia quasi periclitans illa Aristotelis praecepta et se delectans oratoria sua ubertate atque abundantia, quam e sermonibus colloquentium sibi resonantem tamquam imaginem percipit. Sic sane admodum inter se sunt diversi Ciceronis libri de Oratore et Aristotelis rhetorica, nec facile quidquam inter ea similitudinis agnoscendum esse diceres, nisi tale aliquid Cicero ipse indicare voluisset.

Hoc fere modo commodissime explicari posse videntur illa verba, in quibus Cicero dicit se omnem antiquorum et Aristoteliam rationem oratoriam complexum esse. Scilicet arti oratoriae eosdem quos Aristoteles fines quam latissimos constituit, in qua re admodum sane, ut vidimus, ab aequalium suorum opinione et judicio dissentiebat. Aristotelium vero morem in Ciceronis libris de Oratore qui eodem modo explicari posse censet, vereor, ne is plane in errore versetur.

Minus fere opus est ut mentio fiat ***N. Madvigii***, viri doctissimi, qui hanc quaestionem breviter tantum attigit [172]) atque ita, ut a sententiis priorum ejus interpretum, inprimis ***Goerenzii***, haud recederet. Ac sane vellem Madvigius, qua est mentis acie et linguae Latinae inprimis Ciceronianae scientia, rem ipsam perquisivisset potius, quam acquiesceret in sententia aliorum falsa praesertim eorumque, quos usquequaque gravissime ab eo reprehendi constat.

Paullo aliter de hac re judicant qui jam sequuntur viri docti, quorum primus ***J. A. C. van Heusde*** [173]) Aristotelium morem in illis de Oratore libris cum ad

---

172) In edit. librorum *Cic.* de *Finibus*, *Hafniae* 1839, praef. p. LX. 173) In libro qui inscribitur *Marcus Tullius Cicero φιλοπλάτων*, *Trajecti ad Rhenum* 1836.

praefandi consuetudinem, et praecepta danda, quae ut Cicero ipse dicat, a communibus praeceptis abhorreant, tum maxime in utramque partem disputandi referendum esse arbitratur. Formam autem totumque habitum disputationis a Platone praecipue duxisse Ciceronem existimat. De alterius cum altero loci repugnantia nihil. Videtur autem, quod ad praefandi consuetudinem Aristotelium morem referendum censet, id fecisse adductus loco, qui legitur in epistola quadam ad Atticum [174]), ubi Cicero dicit prooemiis se uti in singulis libris, ut Aristoteles in iis, quos *ἐξωτερικοὺς* vocet. — Ac recte mea quidem sententia cum illud posuit, formam dialogi universam et externum sermonis habitum Ciceronem a Platone mutuatum esse, tum vehementissime comprobanda mihi videtur viri illustris ea sententia, qua Aristotelis more rationem in utramque partem disputandi contineri ducat. Quam ejus sententiam, quum jam antea a *Kuehnero* eadem istius difficultatis removendae ratio inita esse videatur [175]), secuti sunt *Bakius*, et qui paullo uberius de ea re exposuit, *van Baumhauer,* viri Batavi, quorum alter, Bakius quaedam in hac quaestione acute conjecit vel praesagivit potius, alia miscuit et perturbavit. Nam saepe discernit, ubi res plane eadem est, tum confundit, ubi accuratius erat distinguendum. Verba ejus, quae maxime huc pertinere arbitror, sunt haec [176]): „Omnino praecipuus in hac quaestione auctor nobis relinquitur simulque exemplum Cicero, qui manifesto non Socraticum dialogum aemulatur, sed illum, quem brevitatis causa Aristote-

174) IV, 16, 2. 175) Cfr. *ejus* edit. *Cicer. Tuscul. Disputat.* ed 4. *Lipsiae* 1853 p. 7 sq. Librum ejusdem, qui inscribitur: *M. Tullii Ciceronis in philosophiam ejusque partes merita. Commentatio regio praemio ornata. Hamburgi sumptibus Friderici Perthes.* 1825 mihi inspicere non licuit. 176) *Scholica hypomnemata,* scripsit Joh. Bakius, II. L. B. 1839. 8. p. 23 sqq.

lici dialogi appellatione significandum putavi. Sed quae ipsius fuerit Aristotelis consuetudo, in eadem Epistola [177]) declarat. Posteaquam enim cum illorum de Republica librorum forma contulisset eos de Oratore, in quibus ii loquentes inducerentur, qui ipsum per aetatem excluderent, haec addit: „quae autem hic temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον* morem habent: in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus“: et exempli loco memorat Dialogum de Finibus, in quibus Pisoni principatus tribuitur, tum Academicorum eam editionem, in qua Varronem et Atticum incluserat, sibique Antiochiorum, quae Varroni tribuisset, refutationem servarat. Et fecit idem in libris de Nat. Deor., in quibus Cotta tamquam sententiam pronunciat [178]), tum in Divinatione, in qua Quinti fratris disputationem ipse convellit secundo libro. Quid inter hanc rationem et eam, quam in libris de Republica et de Oratore secutus est, intersit, non difficile est animadvertere. Nam in illo Aristoteleo more colloquentes tamquam

177) Ad Attic. XIII, 19. 178) Num satis recte in his Bakius Cottam sententiam Ciceronis pronunciare existimet, alii viderint. Equidem numquam adduci potero, ut quae Cotta disputet, omnia eum e Ciceronis sententia loquentem disputasse credam. Nam quae Cottam Cicero facit concludentem mirabilia, III, 37, 89: „Sic enim res se habet, ut ad prosperam adversamve fortunam qualis sis aut quemadmodum vixeris, nihil intersit.“ c. 39, 92 sq.: „Itaque aut nescit (divina providentia), quid possit, aut negligit res humanas, aut, quid sit optimum, non potest judicare. Non curat singulos homines. Non mirum. Ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentes. Quod si has etiam contemnit, quid mirum est omne ab ea genus humanum esse contemtum“, et similia tantum abest, ut Cicero ea ex sua persona et sententia pronunciata esse velle videatur, ut talibus sententiis constitutis et firmatis perturbationem vitae et magnam confusionem sequi, quin etiam fidem et societatem generis humani et unam excellentissimam virtutem, justitiam tolli necesse esse judicet. cf. ib. I c. 2 §. 3 et 4. — Cfr. etiam *Cic.* de *Divin.* I c. 5. et infra.

adversarii inducuntur, quorum cujusque sententia de industria defenditur, a principe disputationis ad postremum convincitur. In altero genere neque ut inter adversarios disputatur, neque ut unus principatum teneat, sed ita potissimum, ut totius argumenti partes fere aequabiliter inter colloquentes distribuantur, quorum singuli sua tamquam in commune conferant, et hoc genus alteri velut Aristotelico opponitur a Cicerone. Haec si probabiliter disputavi, pronunciari posse videtur de alio loco Tulliano, in quo ipso quoque Aristotelei moris mentio fit, ad Div. I, 9, 23. Hunc quoniam Wyttenbachius in illa Epistola p. L sq. perperam, ut puto, interpretatur, magni viri reverentia facit, ut diligentius explorandum esse ducam. „Scripsi igitur“, inquit, „Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore. — Abhorrent a communibus praeceptis atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur“. Ex his verbis conficit Wyttenbachius, intelligendam eam esse formam dialogi, qua scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: et hunc fuisse Aristotelis morem, colligi dicit ex Ammonii verbis in distributione scriptorum Aristotelicorum: **διαλογικὰ δέ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου ἔγραφεν, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα.** Sed cui non perspicuum est, in isto Ammonii loco **διαλογικὰ** opponi **αὐτοπροσώποις** i. e. **συνταγματικοῖς·** neque illa definitione hoc excludi, ut scriptoris ipsius in dialogo partes sint. Et utrumque fecisse Aristotelem, vel ut alii principatum tribueret, vel ut ipse loquens eundem teneret, intelleximus ex illa ad Atticum Epistola confirmaturque alio loco Ciceronis ad Quintum fratrem III, 5, 1, ubi quum dixisset a Salustio monitum esse se de personis librorum de Republica mutandis, propterea quod non esset Heraclides

Ponticus, sed consularis, itaque multo majore auctoritate ipsum in illo sermone disputaturum, haec ad postremum ratio Salustii memoratur: „Aristotelem denique, quae de republica et praestante viro scribat, ipsum loqui“ “. — Et paullo post: „ Sed Aristotelius mos in illa ad Lentulum epistola non nisi ad universum institutum dialogorum referri posse videtur, id quod tum illa epexegesis indicat: „in disputatione ac dialogo“, tum ea, quae interponuntur, „quemadmodum quidem volui“, quae non ad delectum ex duabus illis formis dialogorum, sed ad artificium cujusque sententiae explicandae et in utramque partem disputandi referenda sunt. Nam hujus generis principem et auctorem Aristotelem habere solebat Cicero. Hinc de Finib. V, 4, 10, posteaquam commemorasset, quid in rerum natura explicanda praestitissent Aristoteles ac Theophrastus, sic pergit: „disserendi quoque ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta“. — Et mox deinde concludit: „quibus rationibus permotus, Aristotelium morem, ut dixi, non alium intelligo, nisi tum universe disputationis et sermonis artificium, tum varietatem illam et copiam in quamvis partem dicendi“.

Haec Bakius, ex quibus quam inconsulte et temere interdum dixerit, potest perfacile intelligi. Nam si tribueremus in libris de Finibus principatum Pisoni [179]), quonam tum loco habendus esset Cicero, qui more Aristotelio penes ipsum principatum esse ipsis verbis indicat et sermonis partis habens adversariorum sententias refellit. Atque mehercule vim esset hoc et verbis et toti sententiae adhibere, si statueres non penes Ciceronem sed penes Pisonem potius principatum

---

179) Bakius l. c. p. 24.

esse. Sed pone id ipsum, Pisonem principatum tenere, vix, puto, apparebit, cur omnino necesse fuerit statui quid discriminis inter libros de Finibus et eos de Oratore, quoniam, si ita esset, utrobique Cicero ex alienis personis sententiam diceret [180]). Nam quae Bakius dicit: in illo Aristoteleo more colloquentes tamquam adversarios induci, quorum cujusque sententia de industria defendatur, a principe disputationis ad postremum convincatur. In altero genere neque ut inter adversarios disputari, neque ut unus principatum teneat, sed ita potissimum, ut totius argumenti partes aequabiliter inter colloquentes distribuantur, quorum singuli sua tamquam in commune conferant, et hoc genus alteri velut Aristotelico opponi a Cicerone, ea plane non sunt ejusmodi, ex quibus differentiae quid constituas necesse sit. Nam quicunque in dialogis Ciceronis, de quibus modo mentio facta est, partes aliquas sermonis tamquam personam tuendam suscipit, is ex hac persona omnia, quae ei dicenda sunt, omnibus quibus potest rationibus argumentisque firmare fulcireque nititur ita, ut alter alterum saepe corrigat, alter alteri repugnet, alter alterum convincere suamque sententiam superiorem facere studeat. In quibus rebus quod interdum

---

180) Habes hic paucis verbis demonstratum, quam sibi repugnet interdum Bakius nihilque dicat. Concedat necesse est ***principem esse, cui principatus tribuatur.*** Ex Bakii autem sententia „in illo Aristoteleo more (hoc est: qui est in libris de Finibus, in Academicis, in dialogo de Nat. Deor., in Divinatione) — ***cujusque sententia*** — ***a principe disputationis ad postremum convincitur.*** Jam quum in dialogo de Finibus ex Bakii sententia ***Pisoni principatus tribuatur***, sequitur, ut reliquorum sententiae ***a Pisone ad postremum convincantur, in iisque sententia Ciceronis.*** Quod num verum sit, ipse Bakius viderit. Neque enim Cicero a Pisone ad postremum convincitur, sed quaedam Peripatetica quae Ciceroni minus constanter dicta esse videbantur, Piso ei probare studet. De ***Fin.*** V, cc. 28, 30, 32.

acrius aut lenius colloquentes agunt, natura fert rerum, de quibus sermo est, quarum saepe aliae aliis graviores existimantur digrioresque, in quibus defendendis omnes animi vires intendantur. Quamobrem in iis rebus, quae ad philosophiam pertinent, id est, ad recte beateque vivendum, plerumque acrius quasi pugnatur, quam in rebus oratoriis, quum praesertim diversarum philosophiae disciplinarum decreta constarent tamquam certa quaedam, quae serio defendebantur, oratorum minus. Neque vero, etsi ad perfectum oratorem instituendum in medium profert sua quisque Crassus, Antonius, alii, idcirco eorum de summi oratoris imagine sententiae inter se plane consentiunt. Immo in ipsis summis rebus a se discrepant saepe, ut alter alterum aut longiore oratione refellere conetur [181]), aut brevius ab eo dissentiat [182]). Quid? quod hoc genus dialogorum alteri velut Aristotelico opponi a Cicerone censet, quasi vero minus libri de Oratore Aristotelio more a Cicerone scripti sint. Vides, quam lubrica et praeceps Bakii ratio sit.

Haud commodius agit de altero loco, qui est in Epistola ad Lentulum [183]). Nam ibi summum virum Wyttenbachium refutare conans ipse ancipitibus difficultatibus implicatur. Dicit enim ***διαλογικὰ*** Aristotelis, quorum Ammonius mentionem facit, ***αὐτοπροσώποις*** i. e. ***συνταγματικοῖς*** opponi, neque illa definitione hoc excludi, ut scriptoris ipsius in dialogo cum aliis partes sint, id est: Aristotelem etiam ejusmodi dialogos confecisse, in quibus ipse partes colloquii susciperet. At quis non videt hanc definitionem vel divisionem plane nullam esse, quum ***διαλογικὰ αὐτοπροσώποις*** ita opponantur, ut in ***αὐτοπροσώποις*** ex sua ipse persona

---

181) ***De Orat.*** I, c. 48 sqq. 182) ***Ibid.*** III, 5, 19.
183) *Ad Fam.* I, 9, 23.

scriptor loquatur, in διαλογικοῖς autem prorsus idem, ut ex sua persona disputet, concedatur? Etenim si Aristoteles, ut Bakius putat, duplex dialogorum genus scripsit, unum ita, ut aliis principatum tribueret, alterum, in quo ipse loquens eundem teneret, nihil prorsus prohibere debuit Ammonium, quo minus inter Aristotelis διαλογικὰ ita distingueret, ut altera, quae non ex sua ipse persona scripsit, opponeret alteris, in quibus ex sua scriptor persona disputabat, idque eo magis, quo majorem in distribuendis Aristotelis scriptis veteres interpretes operam et laborem consumsisse perspicuum est.

Eundem fere hujus rei tractandae modum etiam M. M. *von Baumhauer* [184]) tenet, qui nescio quomodo de parvulis nihilique momenti rebus agit, majores negligit aut cernere non vult. Nam ita leviter de Aristotelio more exponit, ut ne differentiam quidem ullam, quae tamen maxima est, inter duos illos Ciceronis locos [185]), de quibus agitur, admodum sensisse videtur. Et quod sciam, de hac re nihil dicit, et quas res, qui mediocris ingenii est, discrepare inter se negare non potest, ille mutata paullulum distinctione, ut earum inter se consensio sit, effecisse se putat. Ponit enim comma in illa ad Atticum Epistola post verba *Ἀριστοτέλειον morem habent*, pro vulgato signo ***colon*** seu ***semicolon*** et pergit: »Illud igitur ***autem*** non habet vim oppositionis, ut interpretes monuerunt, sed rite appositum videtur ad praestantiam alterius moris magis extollendam [186]). In quo valde mihi vir doctus labi videtur; sive enim comma posueris sive pro eo

184) *De Aristotelia vi in Ciceronis scriptis. Trajecti ad Rhenum* 1841. p. 80 sqq. 185) *Ad Fam.* I, 9, 23 et *ad Attic.* XIII, 19, 4. 186) L. c. p. 99 annot. *Orellius* in ed. sec. semicolon habet.

colon vel semicolon dederis, sensus plane idem, credo, manebit. Neque enim video, quo referenda sint verba quae sequuntur, ***in quo***, nisi ad ***Ἀριστοτέλειον*** morem. Sensus autem totius loci hic est nec vult Cicero aliud quidquam dicere praeter hoc: ut sibi in iis dialogis, quos commemoraverit, propter personas colloquentes sibi aetate multo praecurrentes, tacendum fuerit, sic nunc se velle in iis, quae his temporibus scripserit, ipsum loqui partesque sermonis habere. Jam autem quoniam Cicero etiam libros de Oratore, in quibus ei tacendum fuit, Aristotelio more a se scriptos esse dicit, itemque libri de Finibus, in quibus sermonis non expers est, Aristotelium morem habent, quis non videt harum rerum discrepantiam maximam esse? Duae enim res nullo pacto fieri potest ut omnino sint idem, si, de qua re agitur, ea ipsa re prorsus inter se sunt diversae. Sed de his von Baumhauer nihil, et quam duorum locorum repugnantiam Wyttenbachius acute vidit et notavit, eam posteriores omittere silentio et ignorare, quam agnoscere et enodare maluerunt. Quamobrem, quae de Aristotelio more et Bakius et von Baumhauer docent, ejus eam naturam esse et rationem, ut scriptor dialogi in utramque partem disputet, quamquam ex parte quadam verissima sunt, non sunt tamen ita comparata, ut totius quaestionis difficultatem expeditam et remotam et rem prorsus profligatam et transactam esse concedamus.

Et von Baumhauer hoc ipsum sensisse videtur. Quum enim Cicero significet, id esse proprium Aristotelii moris, ut penes ipsum (scriptorem) sit principatus [187]), quibus verbis id quidem continetur, auctorem dialogi partes sermonis habere et ex sua persona loqui (quod idem instituit Cicero in libris de Finibus), longe

187) In Ep. *ad Attic.* XIII, 19, 4.

aliunde tamen vir doctus concludit ex paucis fragmentorum frustis iisque dubiae auctoritatis, Aristotelem in suis dialogis interdum ipsum locutum esse, nulla alia de causa, opinor, nisi ut ne discriminis quidquam inter duos illos locos, de quibus agitur, intercedere appareat, quo cogi possit ad intelligendum, quam ipse tribuerit Aristotelio mori naturam ac proprietatem, minus eam ab omni parte probandam esse; in quo tamen ipso discrimine, quod vir illustris tangere noluit, quis neget totius quaestionis difficultatem positam esse? Nam Aristotelius mos utrobique ei nihil aliud esse videtur nisi »haec peculiaris sive syllogistica in utramque partem disputandi ratio«, quae »non minus in Aristotelis scriptis acroamaticis quam in ejus dialogis dominatur[188]«. Quae quidem quasi in angustum conclusio a Ciceronis sententia in Epistola ad Atticum[189] proposita abhorret. — Sic alibi quoque, ubi ei de isto discrimine inter libros de Oratore et eos de Finibus accuratius agendum fuit[190], id de industria declinasse videtur et formam, ***qua penes ipsum sit principatus***, efficaciorem Aristotelique magis peculiarem dicit, quibus verbis non intelligere possum quid explicatum sit. Nam quod censet von Baumhauer ex Epistola Ciceronis ad Quintum fratrem[191] apparere, quod multum operae et temporis in refingendis libris de Republica Cicero consumserit, »principalem causam hujus gravis laboris ei fuisse, quod, quum primum in libris suis de Republica hanc Aristoteliam rationem esset secutus, qua Platonis exemplo *κωφὸν* ejus *πρόσωπον* esset, eos nunc in formam efficaciorem Aristoteli magis peculiarem, ***qua penes ipsum esset principatus***, refingere consectaretur, potest id quidem verum esse

188) L. c. p. 99. 189) XIII, 19, 4. 190) L. c. p. 98. 191) III, 5, 1 et 2.

concedi, quamquam aliunde satis scimus, libros a Cicerone, qui ad philosophiam pertinent, minore labore factos esse[192]. Quomodo autem ille locus epistolae ad Quintum fratrem missae maximi sit momenti ad propositam quaestionem solvendam, quae qualis fere sit, ne significare quidem ullo modo von Baumhauer voluit, me non intelligere posse fateor.

Quod praeterea dicit Aristotelem in scribendis suis dialogis eandem, quam Platonem in Legibus, Xenophontem in Anabasi (?), Ciceronem in libris de Oratore, rationem secutum esse, ut quamvis alienam personam inducerent, ex tota tamen ipsius dialogi ratione sub ea latere intelligerentur[193], hoc esse ejusmodi videtur, quod nec firmari satis nec refelli possit. Quamquam in his repugnare sibi aliquo modo von Baumhauer videtur, conjiciens, ut Plato in libris suis de Legibus non ipsam personarum indolem, quae magna ex parte ejus dialogorum ratio fuerit, simul exponat, sed statim ipsum argumentum aggrediatur, ita Aristotelem quoque suos dialogos disposuisse. Haec quid prohibet sic intelligere: Ut Plato in libris de Legibus prooemium nullum praemisit, ita Aristoteles quoque nulla suis dialogis prooemia praeposuisse putandus est? Id quod etiam videtur significare voluisse Basilius Magnus[194], cujus supra mentionem fecimus, qui Aristotelem et Theophrastum tradit in dialogis statim res ipsas, quas explicare vellent, aggressos esse, propterea quod quantum a Platonis venustate abessent, sibi conscii essent, Platonem autem libertate sermonis et impugnare colloquentium sententias et effingere simul atque irridere eorum mores, quos loquentes induceret. At vero si quidquam dandum est auctoritati Ciceronis[195], quem

192) *Ad Attic.* XII, 52, 3. 193) L. c. p. 84. 194) In *Epistola* CLXVII, Tom. Opp. III p. 187 C. 195) *Ad Attic.* IV, 16.

von Baumhauer laudat quemque prooemiis delectatum esse dicit secutumque praeter Platonem etiam Aristotelem [196]), si igitur conjiciendum est in his rebus ex Ciceronis non solum consuetudine sed etiam ex ipsis ejus verbis, ex iis satis certe colligere possumus, ab Aristotele quoque dialogis prooemia praescripta esse eaque satis ampla fuisse credideris, si ex Ciceronis dialogis de illis conjicere licet. Sed quid ex hac re discimus? nihil sane nisi Aristotelem suis dialogis prooemia *nec* praemisisse *et* praemisisse. Ex quo sequitur, ut de Aristotelis prooemiis nihil certi sciamus nec utrum scripserit necne, satis exploratum sit.

Cetera velut leviora nulliusque momenti transeamus, ut illud, de quo dubitare possis, quod von Baumhauer verba »Aristotelio more in disputatione ac dialogo« arctissime conjungenda esse arbitratur ita, ut Aristotelius mos ad utrumque membrum et ad *in disputatione* et ad *in dialogo* referendus sit.

Sed vereor, ne jam nimis multa de his rebus dixerim nimiumque diu aliorum recensendis sententiis lectores moratus sim. At enim lectores ignorare nolui, quantum huic quaestioni explicandae studii et curae viri docti impertire voluerint. Jam igitur videamus tandem aliquando ipsi, quid de hoc Aristotelio more judicandum sit, de quo quum multae, ut vidimus, nostris temporibus sententiae exstent, religio non est, quo minus earum numero novam aliquam, fortasse veriorem, addamus.

Sine dubio de eo non tot tamque diversae inter se virorum doctorum sententiae essent exortae, si a Cicerone uno solo alterove loco ejus mentio facta esset. Velut si exstaret tantum locus ille ad *Fam.* I, 9, 23, vix, opinor, essent, qui de ea re quaererent, quoniam

196) L. c. p. 88.

dialogum scribere in disputatione et alienas personas colloquentes inducere, scriptore ipso tacente, nemo fere non crederet fuisse, quem Aristotelium morem Cicero significare vellet, quem morem si quis etiam diligentius declarare vellet, proprietates illius dialogi de Oratore maxime conspicuae notandae ei essent investigandumque, quid quibus in rebus differret a Platonis ratione, talia, quibus inventis crederet se reperisse, quem Aristotelium morem Cicero indicare voluisset. Simili modo, si alter tantum locus esset Ciceronis ad *Attic.* XIII, 19, 4. »Quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus«, non dubitandum esset, quin quivis id Aristotelii moris proprium judicandum censeret, quod scriptor dialogi non solum ipse colloqueretur, sed etiam principatum teneret. Et recte quidem sic, quum et ex re ipsa confecta et e declaratione et descriptione ejus, qui confecit, optime cujusque rei natura cognosci posse videatur. Quum autem in eadem re alterius loci ratio alteri repugnet et contraria sit, non potuit fieri, quin ista duorum locorum repugnantia in se diligentissimi cujusque cogitationes et quaestiones maxime converteret. Sed quis neget plerisque in hac quaestione explicanda versantibus minus prospere rem cessisse, quum, quae quaestio primum ad quaerendum incitaverat, eam mox tamquam cautem aliquam timentes magis praetervehere quam attingere velle viderentur? Dixeris nihil aliud iis propositum esse, nisi ut quidquid sit repugnantiae in illis locis, id obtegant potius vel ignorent, quam aperiant atque illustrent. Nimirum est hoc humanae consuetudinis, ut periculum quodque, quo qui implicatus sit, minus facile se expediat necesse sit, statim ab initio, quoad fieri potest, evitare studeant. Itaque de Aristotelio more quaerunt fere sic, quasi plane inter

se illi loci concinant. At numquam effici potest, ut quae aliqua re sunt diversa, prorsus sint idem. Quare non temere dixerit, si quis viros doctos, qui de Aristotelio more scripserint, omnino ne animadvertere quidem voluisse contenderit, quid in hac quaestione longe maximam explicationem desideret.

Quum igitur de hac re ipse dicturus sim, statim a limine eam viam ingrediar, qua non aliam ullam rectiorem esse concesseris. Nam optimum esse existimavi, paullulum dimissis aliorum sententiis, investigare, num quid Cicero ipse in scriptis suis de hoc Aristotelio more significaverit. Et sunt, quantum equidem sciam, tres loci, in quibus ejus moris mentionem facit. Legimus, ut more historicorum ab iis, quae priora sunt, initium faciamus, in libris de Oratore [197]): »Sin aliquis exstiterit aliquando, qui ***Aristotelio more*** de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis explicare aut hoc Arcesilae modo et Carneadis contra omne, quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adjungat hunc [rhetoricum] usum [moremque] exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator«.

Hic locus, unde tamquam a sole quodam radii in omnes partes exeunt et longissime lucem diffundunt, quemque eo mirabilius est a viris doctis respectum non esse, quo magis in re diu jam agitata sudaverunt et operam consumserunt, in tota hac quaestione solvenda de Aristotelio more tamquam dux certus et magister spectandus est. Docet enim magis, quam alius quisquam, quae Aristotelii moris apud Ciceronem ratio sit. Docet non solum, quid Aristoteles disserendo potuerit, sed etiam, quid fere possint sperare se effectu-

197) III, 21, 80.

ros, qui ejus disserendi praecepta bene cognita habeant, docet denique, quid Cicero in scribendis suis dialogis vehementissime assecutus sit. Ante omnia autem nobis viam aperit ad recte intelligendum alterum locum, de quo jam diximus, in Epistola illa ad Familiares [198]): »Scripsi igitur ***Aristotelio more,*** quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus praeceptis atque omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complectuntur«. Jam nobis licet de hac re breves esse, quum nemo non videat, his nihil aliud significari nisi hoc: Scripsi tres libros de Oratore in dialogo ita, ***ut Aristotelio more in utramque partem disputarem.*** Nam id ipsum, ***in utramque partem disputare,*** ex iis, quae paullo ante adscripsimus, proprium Aristotelii moris fuisse cognovimus. Ac mirum in modum sententiam nostram libri de Oratore confirmant, quibus evolutis istam rationem in utramque partem dicendi inde ab initio per magnam operis illius partem perductam et observatam esse cernimus. Et haec sic recte statui vel inde apparet, quod aliter vix ac ne vix quidem intelligere quisquam possit, cur Cicero, quae antea accuratissime, politissime, artificiosissime quasi condiderit atque exstruxerit, ea postea multo majore vel artis exercitatione vel judicii subtilitate oppugnare et quasi convellere studeat. Nempe est hic Aristotelius mos, cujus qui se compotem esse gloriari vult, recusare non debet, quo minus in eadem causa interdum duas contrarias orationes quamvis subito fundat. Quod quia ostendit quum alibi [199]), tum in

198) I, 9, 23. 199) Ut in libris de ***Republica***, qui quamquam magna ex parte interierunt, tamen ex eorum fragmentis, quae adhuc supersunt, cerni id satis perspicue potest, (cfr. ejus operis fragmenta

his potissimum libris de Oratore Cicero sibi perfacile esse, se ob eam rem verum et perfectum oratorem et talem significat et haberi vult, qualem a Crasso cogitatione et mente fingi ipse voluerat[200]. Quocirca quod valde sibi probatos esse hos de Oratore libros Cicero ait in Epistola illa ad Atticum[201], profecto ejus rei nulla est alia causa, nisi quod, qualem summum et perfectum oratorem cogitatione atque animo intuebatur, talem se tandem aliquando ipsum exstitisse per libros de Oratore probatum lectoribus esse putabat. Et sane ut Crassus Platonem dicit in irridendis oratoribus summum sibi oratorem visum esse[202], sic Cicero Aristotelio more dum, quae sint oratoris, quaerit et proponit in utramque partem disputans, ipse summus sibi orator sine dubio visus est. In qua re qui non admodum hebes est atque obtusus, facile perspicere poterit, ut Phidias inclusit in clypeo Minervae sui similem speciem[203], item Ciceronem in illos de Oratore libros sui ipsius laudationem aliquam si minus apertam, at occultam tamen et obtectam inseruisse inque se tamquam in eum suorum civium oculos convertere voluisse, de quo velut vates majores tamquam aliquando futuro praesenserint, quo nihil umquam quidquam in genere oratorio, quod excellentius sit, exspectari debeat. Institutum autem esse ab Aristotele hoc maxime, ut in utramque partem disputaret, fere usquequaque apud Ciceronem legimus. Non solum enim dicendi disputandique exercitationem et sermonis ornatum cum rerum cognitione et philosophia ipsa conjunxisse perhibetur[204], sed multo magis etiam in

libri tertii), et omnino in libris ad philosophiam pertinentibus, quatenus in iis Aristotelio more in utramque partem disputatur.

200) De *Orat.* III, 21, 80. 201) XIII, 19. 202) De *Orat.* I, 11, 47. 203) *Tusc. Disp.* I, 15, 34. 204) De *Orat.* III, 35, 141; *Tusc. Disp.* I, 4, 7.

omnibus rebus ut in utramque partem ornate dicere possent et copiose, discipulos exercuisse dicitur[205].

Haec in utramque partem disputatio ut exerceri et ad quodcunque argumentum vel probandum vel muniendum vel labefactandum et refellendum ut accommodari posset ratione et arte, Aristotelis diligentia effectum est, quem primum eam disciplinam ad artis formam quandam ac rationem revocasse constat. Quam rationem qualem Cicero cogitando sibi finxerat, talem eam in dialogis suis effingere voluisse putandus est. Et colligi id debere videtur ex verbis, quae addidit »quemadmodum quidem volui[206]«. Nam si certum quoddam Aristotelis scriptorum genus tamquam exemplar ad imitandum propositum ante oculos habebat, in quo Aristotelii moris effigiem omnibus partibus expressam cerneret, quid tandem causae fuit, quare de eo more nescio quomodo per conjecturam pronuntiet? Neque enim video, quomodo non possit inesse istis verbis intellectus hic: Ciceronem credidisse, qualem Aristotelium morem in libris de Oratore effinxerit, talem fortasse ejus rationem et naturam ex Aristotelis disputandi praeceptis animo cogitandam esse. Quare se operam dedisse significare videtur, ut isti libri, quam maxime fieri possit, ad illius moris similitudinem, quam animo conceptam habuerit, expressi sint. Quamquam negari non potest, ista verba etiam in aliam sententiam accipi posse, qua disputandi arte Aristotelis subtilitatem et elegantiam, quam prae se ferant ejus exemplaria, imitando se assequi studuerit. De quibus rebus conjectura tantum dici posse videtur, quum, quae sit Aristotelis dialogorum ratio, minus cognitum habeamus. Verum utcunque haec res se ha-

205) *Orat* 14, 46; de *Fin.* V, 4, 10. *Aristot. Top.* I, 2.
206) Ad *Fam.* l. c. I, 9, 23.

bet, sive cogitatione Cicero in scribendo istum Aristotelium morem sibi finxit, sive exempla ad imitandum proposita habuit, illud profecto dubitari non poterit, quin in libris de Oratore Aristotelius mos in eam sententiam sit accipiendus, qua *in utramque partem disputandi ratio* significetur.

Hoc disserendi genus quo magis aptum et commodum dialogo erat, eo magis a Cicerone adamatum et complexum est et quasi comes perpetuus ejus studiis accessit [207]).

Jam si, quae disputavimus, probabilia sunt, transeamus ad tertium locum, qui est de Aristotelio more in Epistola illa ad Atticum [208]), de quo jam supra mentionem fecimus. Ciceronis verba sunt haec: »Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi vehementer probati. In eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae; quae autem his temporibus scripsi, *Ἀριστοτέλειον morem* habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros *περὶ τελῶν*, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, *περιπατητικὰ* M. Pisoni darem«. Hunc locum qui cum illo, de quo modo exposuimus, accuratius contulerit, unam certe ei similitudinem cum libris de Oratore, de quibus diximus, esse sentiet. Nam in libris de Finibus quoque, id quod e diversarum philosophiarum placitis sequitur, in utramque partem disputatio instituta est. Sed statim ab initio magna difficultas oboritur, quum in iis alius quidam Aristotelius mos, atque in libris de Oratore cognovimus, animadvertendus sit, qui quomodo ab altero differat,

207) *Tusc. Disp.* II, 3, 9. 208) XIII, 19, 4.

ex ipsis Ciceronis verbis satis apparere videtur. Nam ex toto loco perspicuum est, id esse proprium hujus Aristotelii moris, quod Cicero in libris de Finibus ipse partes colloquii habeat, quod in libris de Oratore contra instituerat. Quare alter alteri loco repugnat et contrarius est [209]). Ac primo quidem adspectu ex nostro loco conjicias Aristotelem in suis dialogis partes sibi sermonis sumsisse et e sua ipsum persona locutum esse. Sed si rem diligentius consideraveris, adeo multa argumenta esse repereris, quae nos ita statuere prohibeant, ut aliam istis Ciceronis verbis sententiam subesse suspicere. Scripsit quidem Aristoteles haud dubie dialogos, id quod produnt et fragmenta eorum hic illic apud scriptores servata et inprimis veterum ejus interpretum testimonia, Aristotelem tamen in istis dialogis non ipsum colloquentem prodiise, ex iis, quae supra disputavimus [210]), colligi posse videtur. Quid ergo? nonne jam probabile fit, Ciceronem, quum hoc loco Aristotelii moris mentionem faciat, de *imitandis Aristotelis dialogis* ne cogitasse quidem? Ut enim nos, si de vario docendi dicendique more Platonis et Aristotelis sermo esset, Aristotelium morem statim eum significari putaremus, quo scriptor ipse ex sua persona loqueretur, Platonis contra, quum hoc potissimum Aristotelis proprium esset, ut ipse loquens doceret, sic non facile videris, quid sit, quod de ea re veteres aliter senserint. An ideo aliter statuebant, quod Aristotelis dialogos quosdam habebant, temporis iniqui-

209) Hoc verum esse, alterum locum alteri repugnare et contrarium esse, sic breviter perspicias: Aristotelius mos est, quum scriptor dialogi ex sua persona loquitur et principatum tenet. Atqui in libris de Oratore scriptor dialogi nec ipse loquitur nec principatum tenet. Ergo non est in iis Aristotelius mos. At vero Aristotelio more scripti sunt. Sequitur, ut in eadem re alter locus alteri repugnet et contrarius sit. 210) p. 58, Not. 127 et 128.

tate nobis ereptos? At ii sane haud ita multi, ut aliquo numero haberi possent. Nec vero recte mos dici potest id, quod in singulis tantum rebus aut paucis locum habet. Et adjuvat nostram sententiam locus ille supra jam commemoratus ad Quintum fratrem[211]), ubi quum sermo de libris de Republica esset, Cicero a Sallustio se admonitum esse ait, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse (Cicero) loqueretur de republica, praesertim quum esset non Heraclides Ponticus, sed consularis et is, qui in maximis versatus in re publica rebus esset: quae tam antiquis hominibus attribueret, ea visum iri ficta esse. — »Aristotelem denique quae de re publica et praestante viro scribat ipsum loqui«. Quaesiveris, quodnam Aristotelis scriptum eorum, quae ad rempublicam pertineant, Sallustius significare voluerit. Plura enim ejus scripta ad rempublicam pertinentia a veteribus commemorantur. In qua quaestione vix dubitari poterit, quin a Sallustio significati sint illi octo libri Politicorum, quos tantum solos ex multis fortuna reliquos esse voluit. Nam ut Platonis decem sunt libri de Republica, Aristotelis octo Politicorum, sic Cicero voluit sine dubio suum exstare apud posteros aliquod de republica opus excellens, quod cum illis conferri possit, quum fere in nulla re Graecis cedere vellet[212]). Itaque et sermo, sane luculente, in novem libros distributus erat et aliunde comparatum, quod orationi pondus et dignitatem afferre posset. Quod quum Sallustius non ignorasse videtur, de dialogo eum aliquo Aristotelis Ciceroni imitando cogitasse vix credibile est. Aut enim nulli ii erant de republica omnino, aut si erant etiam, certe haud ita magnae molis, ut exempla sibi eos scribendi Cicero esse vellet. Quae si ita

211) III, 5. 1. 212) Cfr. etiam *Tuscul. Disput.* II, 2, 5 sq.

sunt, nonne satis graves causae nos impediunt, quominus, quod nostro loco de Aristotele dicatur, »ipsum loqui«, ad ejus dialogos referendum esse concedamus? Immo significatur illa Aristotelis consuetudo, qua non per dialogicam formam percunctando atque interrogando, sed perpetua oratione ipse loquens Aristoteles disputare solitus sit. Quare si nostrum locum consideramus, haud scio an ille sit Aristotelis mos cogitandus, quo discrepans a Platone res ipsas simpliciter, dialogi forma prorsus abjecta, persequens, quid sibi videret, ex sua persona disserebat, quali forma qui hodie exstant Aristotelis libri conscripti sunt. Quem Aristotelis morem perpetua oratione disputandi quatenus in libris de Finibus Cicero in usum suum converterit et mixtum dialogo consilio suo accommodaverit atque adhibuerit, Attico suo indicandum esse sensit. Quocirca non dubito nostro loco hanc sententiam adjungere: In iis quae his temporibus scripsi, Platonis consuetudine per alienas personas disputantis relicta Aristotelis morem amplexus sum, ita tamen, ut dialogi formam servaverim et ceterorum sermonem ita induxerim, ut penes ipsum (disputationis scriptorem) principatus sit. Quod quum lego »penes ipsum« nescio quomodo in mentem mihi venit veteris illius dicti *αὐτὸς ἔφα, ipse dixit*, quo Pythagorae discipulos magistri sui auctoritatem indicare voluisse notum est, tamquam Cicero ad istud dictum alludens festive atque jocose per ***ipsum*** se velut inter ceteros colloquentes principem ac magistrum dicere voluerit.

Est igitur omnino nihil aliud significatum, nisi differentia disputandi talis, qualis inter utrumque scriptorem, Platonem dico et Aristotelem, intercedebat. Quam etsi Cicero significavit, tamen sic quoque Platonem aliquo modo imitans, quod dialogi formam retinuit Attico amicissimo indicare certe potuit, quid esset, in

quo Aristotelium morem cerni vellet. Atque sic quidem, quae de Aristotelis disputandi ratione scimus cum ex ipsius libris hodie exstantibus, tum ex aliorum de ea velut veterum interpretum, testimoniis, quaeque aliunde satis probabiliter colligere possumus, ut inter se consentiant, aliquo modo effici posse videtur.

Hanc nostram sententiam siquis minus comprobaverit, equidem non repugnaverim, si ipso nostro loco tamquam teste utens Aristotelem in suis dialogis ipsum loqui et principatum obtinere solitum esse credat, in eaque re Ciceronem ejus consuetudinem secutum ex sua ipsum persona dixisse, atque hunc esse Aristotelium morem, quem Cicero isto loco indicare voluerit. Atque sine dubio multo id esset commodius et ad nostrum locum interpretandum facilius, si modo etiam aliunde constaret dialogos Aristotelem, in quibus ipse locutus sit, scripsisse. Quae res quia ejusmodi est, ut vix umquam, deficientibus testimoniis, satis ad liquidum perduci possit, *ἐπέχομεν*.

Sed utcunque sese haec res habet, illud modo certum stet, duos Aristotelios mores, quod quidem ad Ciceronem attinet, inter se distinguendos esse, unum in quo, ut ipse in utramque partem disputabat, sic etiam in ea re adolescentes exerceret, alterum, ut e sua persona diceret, quod factumne sit etiam in dialogis, an illa Aristotelis ratione, quae hodie ex ejus scriptis cognosci potest, incertum est. — Nisi forte sunt, qui negent fieri potuisse, ut, quemadmodum in alia re alius uniuscujusque hominis mos atque alia consuetudo sit, sic Aristotelis quoque in alia re alius mos atque usus fuerit.

At, dixeris, quorsum haec tam multa de Aristotelio more? Quia nobis quidem persuasum est, neminem posse Ciceronis philosophandi rationem recte intelligere, nisi qui bene perspectum habeat, quae sit

apud eundem istius moris ratio et finis[213]). Et habet praeterea iste quidem mos seu ratio in utramque partem disputandi multum sane, quo Ciceronem egregiam suam dicendi praestantiam ostentare moleste feramus, ut sine ulla dubitatione de se ipso praedicat, ubi Crassum dicentem facit[214]), eum esse verum, eum perfectum, eum solum oratorem, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes explicare, et quae similia ibi dicit, nam sibi id perfacile esse ipse in contrariam partem dicendo ibidem satis luculente probavit. Eodem modo magna philosophiae cognitione se instructum esse Aristotelii moris ope prae se ferre potest. Quin etiam quod jam Socratis hanc rationem fuisse ait, ut contra omnia dissereret, eamque repetitam ab Arcesila, confirmatam a Carneade dicit, quae quamquam usque ad suam aetatem viguerit, tunc tamen propemodum in Graecia ipsa propter hominum tarditatem orba sit, nonne, quum hujus rationis patrocinium se suscepisse profiteatur, eodem se quo illos in philosophia dignitatis gradu collocari vult seque illis summis philosophis parem esse judicari, quorum ingenii acumen novas interdum philosophandi vias aperuit, praesertim quum dicat oportere habeat non singulas tantum, sed omnes disciplinas perceptas is, cui veri reperiendi causa contra omnes philosophos et pro omnibus dicere propositum sit[215])?

Sed tamen etiam alio ista disputandi ratione consilio Cicero usus est, quod haud scio an summopere probandum sit. Quum enim fortuna unius Caesaris po-

213) Quale aliquid fere accidisse videtur nostris diebus *Bunsenio*, qui vellem magis Aristotelii moris rationem cognitam habuisset; multo tum rectius de Cicerone judicaturus fuisset. Cf. ejus libr. qui inscribitur: Gott in der Geschichte. Lipsiae 1857 sq. Vol. II, p. 579 sqq. 214) De *Orat.* III, 21, 80. 215) Cfr. De *Nat. Deor.* I, 5, 11.

testati et arbitrio omnem reipublicae administrationem tradere voluisset, Ciceroni pro ereptis rei publicae muneribus studium philosophiae velut multo digniorem eo occupationem tribuit, quo non solum aetatis molestias levare posset, sed etiam ab omnibus eum omnium temporum hominibus gratiam inire necesse esset[216]). Itaque omnem philosophiam e Graecia in Italiam transferendam suscepit et quae philosophorum principum sententiae maxime tum vigebant, omnes scribendo Latinis litteris illustrare coepit. In quibus disciplinis suis hominibus explicandis quid potuit ei aptius videri quod adhiberet, quam ipse ille in utramque partem dicendi mos Aristotelius, quem jam in aliis causis amplexus erat, quum diversae de eadem re sententiae dicendae atque explicandae erant? Jam igitur hunc morem ita secutus est, ut quae cujusque disciplinae de quaque re placita ac praecepta erant, aut ipse pertractaret aut uni alicui ex suis civibus, penes quem earum rerum cura aliqua insignis esse existimabatur, peroranda traderet modo perpetua oratione, interdum ita, ut sermonis instar brevioribus aliorum interpellationibus, interrogationibus, quibus respondendum esset, talibus, locus relinqueretur. Atque de quibus tum maxime quaestionibus inter se philosophi dissentiebant, quas sententias probabant, quas rejiciebant, quasque ipse maxime pertinere arbitrabatur vel ad vitae institutionem vel ad doctrinam, de iis mirum quantum in suis libris copiosus est, quia noluit nec

216) Non enim sumus ii, qui in *Th. Mommsenii* verba; juremus, qui multa nefarie in Ciceronem animadvertere non erubuit. Cfr. ejus: Römische Geschichte Dritter Band. Berlin, 1856 p. 572 sqq. Multo rectius de Cicerone *Bunsenius* haec: „Er war mehr als ein Römer, er war ein Mensch und hatte ein Herz für die Menschheit. Wer dieses verkennt, zeigt darin sich weder als Philosoph noch als Historiker". Cfr. ejus librum qui inscribitur: *Gott in der Geschichte*. Pars II p. 582.

suos homines nec posteriores in earum rerum ignoratione versari, quas nescire eruditissimum quemque turpissimum esset. Jam quod quacunque re posset, prodesse voluit quam plurimis, se praestitit talem, qualem justa laude prosequare. Accedit quod praeterea plurima nos docuit, quae quia fontes, unde hauriri possent, evanuerunt, frustra scire cupiveris. Quae quum ita sint, nemo, opinor, ita in eum ingratus erit, ut quot ejus quantaque in philosophiam merita sint, unquam ex memoria deponere velit. Horum autem de philosophia meritorum nobis quidem persuasum est principalem causam fuisse ***Aristotelium morem***, qui eum non modo coegit in quaque re tractanda quam accuratissimum esse et cum diligentia versari quam maxima, sed etiam si non omnium, at plurimorum tamen, qui et tum et antea florebant philosophorum doctrinas explicare et cuique earum rerum studioso tradere passus est.

At, dixeris, quae scripsit, *ἀπόγραφα* sunt. Et recte quidem et propter id ipsum eo pluris sunt nobis aestimanda, quo majorem, si *ἀπόγραφα* tantum sunt, earum rerum, quas continent, fidem facere possunt. Verum enimvero is mos est hominum plurimorum, — remotissimus sane ab isto Aristotelio — ut quibus ipsi multo inferiores sunt, eorum de fama stolida arrogantia judicent et detrahant, quasi vero, dum alterius laudes extenuant et tamquam nitedulae arrodunt, ipsi aliquid gloriae consequantur[216 a]).

Reliquum est, ut paucis verbis attingamus eam quaestionem, de qua inter viros doctos magna controversia est, quae Ciceronis ipsius sententia sit, quum in istis diversarum philosophiarum sententiis explicandis isto quo diximus modo in utramque partem dis-

216 a) Haec sint Mommsenio dicta!

putet. Quod quamquam ex se ipso quaeri non vult[217]), tamen de ea re satis judicare possumus. Atque illud quidem certum est, Ciceronem eam philosophandi rationem esse secutum, quae novae Academiae, inprimis Arcesilai et Carneadis auctoritate firmata et recepta erat[218]). Qua ratione qui philosophabantur, tantum aberat, ut certa quaedam probarent, ut omnino quidquam percipi posse aut sciri negarent[219]). Quum enim omnibus enuntiatis, quae vera esse viderentur, falsa quaedam admista crederent, et nullam inesse nec in rebus ipsis nec in sensibus nec in conclusione rationis atque dialectica[220]) vera a falsis distinguendi notam, quae certa esset, in omnibus rebus dijudicandis sapientem assensum cohibere voluerunt et id tantum sequi, quod probabile et verisimile esset. Itaque contra omnium sententias, qui aliquid affirmare vellent, studiose disputabant, atque in ea arte tota fere hujus philosophiae vis posita erat, non ut viderent, quid verum esset, quippe quod cerni posse negarent, sed quid contra alterius sententiam probabiliter dici posset[221]). Quod nescio an eodem fere redeat, quasi suo quemque judicio uti jusserint[222]). Nec aliud quidquam Cicero significare voluisse videtur, ubi curiosius quam necesse sit, eos facere ait, qui quaerant, quid de quaque re ipse sentiat, quasi magis auctoritatis quam rationis momenta quaerenda sint. Quapropter ut quidquid probabilitate aliqua animum ejus moverat, id vehementer arripuit[223]), sic suum cuique judicium liberum re-

---

317) De *Nat. Deor.* I, 5, 10 cf. *Tusc. Disp.* V, 4, 11. 218) De *Nat. Deor.* I, 5 11. 219) *Cic. Acad.* I, 12, 44 sq. 220) *Cic. Acad.* II, 28, 91 sqq. 221) Cf. *Cic.* de *Orat.* III, 18, 67 sq. 222) *Tusc. Disp.* IV, 3, 7. V, 29, 83. — Quare etiam contra se scribi tantum abest ut nolit, ut id maxime optet. ibid. II, 2, 4. Nec quum Academicus esset, aliter sentire poterat. 223) *Tusc. Disp.* V, 11, 33; de *Offic.* III, 4, 20.

liquit[224]), in probandis iis doctrinis quae sive ad vitam instituendam pertinere, sive ad verum cognoscendum proxime accedere arbitrabatur. Quae quum ita sint, errare videntur ii, qui quae contra quemque aut ipse interdum disputet[225]) aut alium disputantem faciat, ea omnia ex ipsius sententia semper dicta esse existimant. Immo vero ut omnino consuetudo hominum fert, ut sua quisque contra alterum maxime firmata et munita esse velit, sic etiam diversae philosophorum disciplinae semper ex veritate describendae et designandae erant, sive ipse sive alius loquebatur. Quare ejus ipsius disciplinae, cui maxime addictus erat, Academiam novam dico, multa erant commemoranda atque inducenda, quae vix umquam ab eo probata esse credideris. Velut ubi Cottam impugnantem inducit Stoicorum rationem[226]), qui omnia pulcherrime facta et divina mente regi et non solum universo hominum generi, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri censebant. Cave enim credas ista ipsa fuisse placita Academiae novae, quae ut nulla fere erant omnino, sic ne probari quidem ac confirmari nec refelli poterant. Immo nihil nisi ratio erat Academicorum sustentanda, ex qua contra Stoicos disserebant, eorumque magis argumenta confutare volebant, quam ipsi quidquam quod affirmandum aut assensione probandum esset, statuere.

---

224) Cf. De *Nat. Deor.* III, 1, 1. 225) Ut quum paradoxa quaedam Stoica peculiari libello defendat eademque in libris de Finibus oppugnet. 226) De *Nat. Deor.* lib. III. Cfr. in re simili *L. Furius Philo* apud *Cic.* de *Rep.* III c. 5, qui quidem in ea sententia, quam tuendam suscepit, indicare voluit, quam id aliena oratione, quae erat *Carneadis*, faceret. Et nostro quoque loco Cotta Carneadis sive dubitationes sive disputationes tradit. Ipse autem Cicero quid de his rebus senserit, breviter ab eo expositum habes de *Legg.* II, c. 7. Cfr. quae de hac re egregie disputat *Krischius* Forschungen etc. p. 9 sqq.

Atque in eo recte fecisse videntur. Quum enim veritas, ut Democritus censebat, in profundo sit demersa nec ab ullo vel homine vel saeculo aut possideri tota aut cerni sincera aut penitus explorari posse videatur, hoc quidem a Deo optimo maximo nobis assignatum esse munus credamus, ut vero quam fieri potest maxime, semper propius accedamus, quod ut fieri possit, Aristotelius profecto mos in utramque partem disputandi haud ultimo loco habendus est.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 7 lin. 5 in not. ab im leg. *253* pro 353.
„ 9 „ 2 in textu ab im. insere ***non*** ante ***est.***
„ 13 „ 16 insere ***tam*** ante ***clarus*** et ***qui*** ante ***maxime.***
„ 15 „ 20 leg. ***solet*** pro ***solent.***
„ 16 „ 4 insere ***colloquentes*** ante ***traducere.***
„ 19 „ 4 ab im. post ***Quid autem*** pone interrogationis signum.
„ 24 „ 3 et 1 ab im. pro ***quomodo*** et ***sit*** lege ***quod*** et ***est.***
„ 25 „ 7 ab im. lege ***Νήρινθον*** pro ***Νηρινθον.***
„ 26 „ 5 leg. ***de integro*** pro ***denuo.***
„ 30 „ 4 in not. leg. ***διαυγεῖς*** pro ***διαγεῖς.*** — Ibid. lin. 7 leg. ***ἐμηχανήσατο*** pro ***ἐμηχανησατο.***
„ 32 „ 1 in not. leg fol. *b* pro fol. *6.*
„ 34 „ 10 pone ***comma*** post ***plurimum.***
„ 39 „ 5 in textu ab im. leg. ***ignavus*** pro ***ignarus.***
„ 42 „ 11 leg. ***proximi*** pro ***proxime.***
„ 45 „ 1 in nota leg. *I, 35, 27* pro *I, 35.*
„ 48 „ 16 leg. ***γὰρ*** pro ***γάρ.***
„ 49 „ 2 adde annot. ad [113]); locus, qui citatur, est ***Magn. Mo*** I, 4, 1—4.
„ 51 „ 8 et 9 in not. leg. ***γίγνηται*** pro ***γίγνεται.*** — Ibid. lin. post ***τέχνην*** pone interrogationis signum. — Ibid. lin 4 corrige ***γ'*** pro ***γε.***
„ 60 „ 14 lege ***quoad*** pro ***quod.***
„ 63 „ 1 in not. ab im. leg. P. *58* pro p. *48.*
„ 66 „ 1 in not. ab im. leg. P. *58* pro P. *48.*
„ 67 „ 7 post ***possit*** pone signum interrogationis.
„ 72 „ 1 post ***dicere*** pone signum interrogationis.
„ 73 „ 15 et 16 post ***nec*** leg. ***ignorat*** pro ***ignoras.***
„ 76 „ 16 pro ***Aristotelis*** lage ***Aristotelio.***
„ 77 „ 6 lege ***his*** pro ***hic.*** — Ibid. in not. lin. 9 pone ***olon*** post ***mirum*** et perge: ***ne civitates quidem*** cet. — bid. lin. 11 post ***contemtum*** pone interrogationis signum.
„ 78 „ 7 post ***partes sint*** pone interrogationis signum.
„ 79 „ 3 ab im. post ***refellit*** pone interrogationis sign.

Alia minoris momenti errata lector humanissimus ipse benevole corrigat.